



D.Sp.G.


432

(1719)


Nicht ausleihbar







D. Sp. G.
432.



HISTORIA CAPTIVITATIS

Innocentium
CIVIUM GOCHENSIUM,
Patriæ & Ducatūs Clivensis

Quæ facta fuit Anno post partum Virginis Deiparæ 1615. & eorundem liberatio-
nis ipsâ Dominicâ Passionis, quâ in Ecclesiâ
cantatur Evangelium : *Quis ex vobis
arguet me de peccato.* Joann.
Evangelistæ 8. Cap.

77/01313



9.4
9.4.10
432

COLONIÆ AGRIPPINÆ

Anno Domini 1719.



D. Sp. f. 432
2
Pm.

1371 512 OA



In Nōmine Domini JESU CHRISTI.

Nvidia concipit odium , & odium parit peccatum , quod Ego in his circumstantiis vobis exhibere , & demonstrare decrevi . Nam à principio nascientis Mundi diu pax non perseveravit ; sed mox ut duo homines ex primis Parentibus nostris scilicet Adam & Èva nati sunt ; mox inter fratres contentio ex invidiâ ortum sumpsist . Dum enim Cain & Abel Domino Deo immolarent sacrificium , sicut Genesis Cap.4. legitur : Dominus respexit ad Abel & Munera ejus , ad Cain autem & Munera ejus non respexit . Cain verò desuper summopere iratus occidit fratrem suum , quare & à Domino Deo punitus profugus factus super terram , & sub suspicione fera à descendantibus suis occisus est .

Genesis Cap. 6. mandavit Dominus arcam fabricari à Noë , ut salvaretur semen super terram . Dedit gratiam Serenissimo Electori Brandenburgensi , ut eosdem innocentes captivos gratuitò relaxaret .

Genes. Cap. 9. Cham filius Noë illusit patri suo . Ceporinus non tantùm illudere civibus Gochensibus voluit , sed eosdem per conceptam & fictam calumniam ad internecionem perdere .

Gen. Cap. 11. fuit facta confusio linguarum in edificatione turris Babel. Post Textoris captivitatem Clivos versus facta fuit vera confessio falsorum mendaciorum.

Gen. Cap. 14. Loth cum aliis à quatuor Regibus captivus abductus fuit è Sodomis ; Abraham cum suis vernaculis liberavit eum, Cives Gochenses captivi ducti fuerunt, innocentia eosdem absolvit.

Gen. Cap. 39. & seq. legitur de Joseph filio Israël Patriarchà patre populi à Deo electi, quòd à fratribus suis venditus fuerit in Ægyptum. Cives Gochenses & captivi à Concivibus & Ceporino Calvinistà venditi fuerunt Gubernatori Lamberto Charles in castellum.

Joseph quamvis à Dominâ suâ pro violando thoro conjngali sollicitatus, castus permanxit. Cives Gochenses quamvis pro abjurandâ Fide Orthodoxâ sollicitati, stabiles permanserunt.

Joseph propter falsum Putipharis uxoris testimoniū raptus fuit in carcerem. Cives Gochenses tracti fuerunt propter falsum Ceporini, & substituti Textoris mendacium in intolerabilem bonorum suorum perniciem, ita, ut si Dominus Deus hanc causam mirabiliter planè modo non revelasset, multi innocentes perire debuissent.

Joseph in carcere constitutus torturam non sensit ; Petrus Exken talem torturam sustinuit, ut etiam falsa confiteri coactus fuerit.

Joseph ereptus fuit è carcere propter Pharaonis Pincerne recordationem. Cives Gochenses liberati fuerunt propter veram scelesti Textoris confessionem, qui vera dicere maluit, quam ini quis Ceporini conceptibus favere.

Joseph

Joseph adeptâ libertate condonavit injuriam sibi illatam fratribus suis : Civibus Catholicis in hodiernum usque diem vix ignoscitur.

Joseph recommendavit ossa sua deferri cum filiis Israel in terram promissionis. Cives Catholici Gothenenses noluerunt inferri ossa defunctæ filiæ Ceporini in Ecclesiasticam hujus Ecclesie sepulturam.

Exodi Cap. 1. & seqq. legitur oppressio à Rege Ægypti facta filiis Israel propter duram servitutem quam patiebantur ; Pharao voluit populum Dei perdere ; quid fecit Dominus ? misit Moysen servum suum fidelem ad liberandum & ducendum populum : misit Dominus uxores captivorum Gothenium Civium Clivos , ut eos in pristinam libertatem collocarent. Moyses , & filii Israel spoliaverunt Ægyptios bonis suis ex mandato Dei : Ceporinus , & sequaces ejus voluerunt abripere bona Catholicorum Civium contra charitatem proximi , & legem Decalogi .

Libro Josue Cap. 1. legitur , quomodo Dominus Deus confortaverit Josue ductorem Exercitus filiorum Israel : idem Dominus consolatus est Dominum Consulem Gofwinum Exken , & Concives Catholicos ne permitterent , ut in hac Catholica Ecclesia ritus Calvinistarum inciperet florere , qui vitam perdere , & captivitatem sustinere maluerunt , quam boni Consulis , & Civium officium negligere .

Libro 1. Regum Cap. 24. legitur , quo odio Rex Saul persecutus fuit amulum suum David , qui latitans in spelunca Engaddi , cum haberet occasionem Saulem occidendi , maluit parcere quam manus suas mittere in Unctum Domini : hunc textum Ceporinus , & consortes male intellexerunt ; quia iisdem non sufficiebat solos seculares accusare , nisi etiam undi Domini

Sacerdotes adjungerentur; quia fortè cogitabant, deficiente Capite pereunt & membra, & dum principales Catholicae Fidei Instructores sustulerimus, reliqui facile sequentur.

Regum Libro 2. Cap. 15. & seqq. habetur Historia, quomodo Absalon infidatus fuerit Patri suo David Regi Israel, ut eidem coronam & sceptrum eriperet: Ceporinus nifus fuit, ut Catholicum Pastoratum Civibus invitis extorqueret: verum Absalon à Joab Duce exercitus Regis David justas perfidiæ poenas dedit tribus lanceis confossum: scelasti illi proditores impuniti evaserunt.

Libro 3. Regum Elias magnam persecutionem sustinuit à Jezabel uxore Achab Regis Israel, Dominus Deus pavit & sustinuit: Civis Gochenses ingentem calumniam passi sunt à Ceporino, & sequacibus; Dominus liberavit eos.

Regum 3. Cap. 21. legimus de possessione Nabath, cui erat vinea à Rege Israel sumamoperè affectata; quam dum Nabath cedere nollet, suadente Jezabel quasi Regi infidelis lapidatus est, suppositis falsis testibus: Ceporinus suppositis falsis literis quasivit per fraudem sibi acquirere villas, & agros innocentium Catholicorum.

Tobiae Cap. 1. & seqq. invenimus Historiam ejusdem in captivitate constituti, quid à Lege Dei & Patrum suorum non recesserit, propterea ab Angelo à eicitate sanatus, idemque Angelus filio ejusdem comes in itinere fuit, & matrimonium cum Sarà filiā Ranguelis conciliavit, & demonium septem maritorum interpectorum compescuit: Utinam Catholici Civis Gochenses calumniam à Ceporino illatam, & invidiam adhuc spirantem tandem abolere possent.

Judith per jejunium abstulit caput ebrii Holofernis
Ducis exercitus Assyriorum: Matrona honesta libe-
rârunt per jejunia, preces, & lacrymas ad Deum
fusas maritos suos à furore savientium Hereticorum.

Esther Mardochæi consilio liberavit populum suum
apud Regem Assuerum ab immanilaniè, ita ut pro-
ditor Amman suspensus fuerit in patibulum Mardo-
chæo preparatum: Matrona Gochenses eriperunt
maritos suos de captivitate, & si juxta sententiam
Serenissimi Principis executio ad suum finem redacta
fuisset, forsitan proditores isti graviorem panam susti-
nissent.

Job amissis omnibus liberis, & totâ substancialiâ suâ
dixit, si bona de manu Dei suscepimus, mala cur non
sustineamus, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit
nomen Domini benedictum. Cives captivi Gochenses
libertatem suam amiserunt, & tamen Domino Deo
benedixerunt.

Job post temptationem ad pristinum & gloriosem
statum pervenit. Cives Gochenses post tribulationem
percessam maiores evaserunt.

Danielis Prophetæ Cap. 3. missi fuerunt iussu Regis
Nabuchodonosoris Ananias, Azarias, & Misael in
fornacem ardenter à Chaldeis, sed Angelus Domini
excusit flammam ignis, & circumstantes devoravit,
qui incolumes è fornace evaserunt: Cives Gochenses
liberati sunt propter preces ad Deum directas.

Daniel Cap. 6. missus fuit ratione invidorum ac-
cisorum in lacum leonis, sed illas permanxit & ex-
tractus: Cives Gochenses è carcere erepti fuerunt.

Daniel Cap. 13. castissima & innocens Susanna à pra-
vis senibus duobus iudicibus ob non permisam carnale
commixtionem accusata fuit adulterii; dixit Susanna,

angustia sunt mihi undique ; si enim hoc egero , mors mihi est ; si autem non egero , non effugiam manus vestras ; sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras , quam peccare in conspectu Domini . ¶ 23 . Quid fecit Dominus , an Innocentiam succumbere permisit ? minimè , misit Danielem , qui seorsim interrogatis falsis testibus eosdem capulares Senes perjurii convicit , ita ut sententia in caput proba Susanna prædicata in scelestos redundaret : Dominus Deus ut vidit ad extremam calamitatem Cives Gochenses deductos fuisse , emolliuit cor scelesti Textoris , ut veritatem fateretur , & propriâ confessione putatios reos absolveret .

Quales persecutiones in veteri Testamento non sustinuerunt Jeremias , Isaias , Jojadas , Zacharias , & Prophetæ vera docentes , & populo peccatrici , & idololatriis pravitatem suam exprobrantes ? Quid non passi fuerunt primitivæ Ecclesiæ Apostoli , & milleni Martires ? Quot innoxii mortem non subierunt sub Henrico VIII . & Elisabethâ Anglia Rege & Reginâ Sacerdotes , Monachi , & Sæculares , inter alios ingens ille Cancellarius Thomas Morus , Joannes Fischerus Episcopus Roffensis . Ut de reliquis taceam , quia satis notum , mirum ergo vobis Lectoribus esse non debet , si simili de causâ Cives Gochenses hæc passi fuerint , quæ vobis ob oculos ponere decrevi ; interim tamen petens , ut pro animabus Defunctorum Historiolam hanc perlecturi Dominum Deum rogetis , ut perpetuâ pace frui mereantur . Amen .

Benevoli Lectores , Historiolam hanc scripturus aggredior ; verum nolite putare , me hanc scribere ex passione , vel malevolo animo , sed puræ veritatis gratiâ , ut videatis , quatenus malitia possit aliquando innocentiam aliquo modo opprimere , sed non penitus suffocare .

C A P U T I.

*De morte SerenissimiJuliae Clivie, &
Montium Ducis, & contentione inter Sere-
nissimos Principes de relictâ hæreditate.*

Anus agebatur à Nativitate Salvatoris nostri Domini Jesu Christi millesimus sexcentesimus nonus, in quo Serenissimus noster Joannes Wilhelmus, Clivæ, Juliæ, & Montium Dux, Comes Marcæ, Ravensbergæ & Morisæ, Dominus in Ravenstein, &c. Fatalem suum in diem obiit cum summo subditorum mœrore 25. Martii non relictis masculini sextûs hæredibus Dusseldorpii in arce ducali.

Vix hoc innotuerat cuidam depravatæ farinæ socio quin mox cogitarit in turbulentâ aquâ optimè pisces capi posse, qui citato cursu Gochiam perveniens venerabilem senem Consulem Goswinum Exken his verbis sive alloqui, sive decipere nitus: *Nu iſt onſen Vorſt doot, nu syn de Heer van Wiffen, ende den Heer van Hulhuyſen geen Raeden meer, die syn nu all aff met alle de Raeden.* Cui Consul respondit hoc modo: *Soo ben ick geen Borgemeester meer; non dicebat Falsarius ille: Den Burgemeester is een Meester over de Burgery: Maer de Raeden staen in plats van de Vorſt; nu deesen doot is, syn die oock aff, nu sal der een ander Regierungh koomen.*

Den Keurvorſt van Brandenburgh is all schon op den Wegh herwaertz. Nota quod Eidem proditori constiterit modò Electorem Brandenburgensem Berolino ad hasce partes deceſſisse. Considerandum in primis venit, tales quinque, vel iex socios nihil nisi in-

vidiam spirantes in hac Civitate repertos fuisse, inter quos tamen inter reliquos virus suum diffudit Petrus Ceporinus, vulgo dictus *swarte Peter*, istius agminis indignissimus duxtor; reliquos tacebo propter nomen familiarum forte adhuc superstitem, quamvis plurimae eorum calumniatorum defecerint, & inter hominum memoriam esse desierint. Post horum conceptum odium & Catholicæ Religionis contemptum inchoabatur feralis illa tragœdia.

Serenissimi Principes, Brandenburgensis, & Palatino-Neoburgensis utope mariti filiarum defuncti Serenissimi Principis Joannis Wilhelmi arma mouent, militem conscribunt, & Ducatos relictos tentant. Brandenburgensis mittit duos Centurios nimis Dominum de Pootlitz & Dominum de Heyen in Goch qui castrum statim occuparunt; Et dum Cives Gochenses insecuri militaris stationis arma arriperent, Dominus Consul Goswinus Exken eosdem habitâ benignâ oratione compelcuit, & à violentiâ tentandâ abstinere coegerit, sicut etiam Comitem de Swartzenburgh permovit, ne Cives in armis comprehensi punirentur.

Non longo tempore post milites tam Hispani, quam confederati Belgij hanc Civitatem partim per vim sive nocturno tempore per fraudem occuparunt; & dum aliqui fideles cives quendam Hollandum militem faciassent, coacti fuerunt cum adjunctâ Executione eundem curare sanari, & de omnibus provideri, quod factum fuit sub Lamberto Charles Imperialis Civitatis Neomagensis Gubernatore, de quo ex post mentio pro dolor nimis multa fiet.

C A P U T II.

Quomodo pacta & Reversalia inter Serenissimos Duces Brandenburgensem, & Neuburgensem tam Duisburgi quam Xantis facta fuerint.

Notandum in primis, quod post obitum Serenissimi Duci nostri inter Sigismundum Brandenburgi Electorem, & Wolfgangum Wilhelmum Comitem Palatinum Rheni Ducem Bavariae, sub Dato 14. Julii Anno 1609. sequens tractatus conclusus fuerit, & ab utroque stipulatus, ut Romano-Catholici in libero Religionis exercitio permanere possent, sicut & Religiones in Imperio toleratae & per conclusa Ratisbonnensia permissa securam haberent Conscientiae libertatem. Miserunt deinde legatos suos ad plerasque civitates, sicut & Gochiam, ubi Consul Exken nomine Civium iisdem fidelitatem quoque approximavit. In quibus tractatibus Xantis 1614. & conclusum fuit per interpositionem Christianissimi Regis & Principum Romani Imperii, nec non Ordinum confederati Belgii, ut omnia Ecclesiastica beneficia im posterum vacatura alternatim a Serenissimis Principibus conferrentur, & si forte unus ex predictis in mora esset, alteri liberum foret post tres menses tale beneficium conferre.

Moritur interea ipsa vigiliâ Paschatis Anno 1614. 29. Martii Pastor Gochensis Admodum Reverendus Dominus Martinus Vergestius in mense Serenissimi Electoris Brandenburgici; nunc putabant isti susurrones de causâ triumphatum esse; verum dominus Deus omnem infidelem Praxin in melius vertit, ita ut ignis, quem accenderant, Fomitores suos perdiderit.

C A P U T III.

*Serenissimus Princeps Georgius V Vilhelmus
Patriam invisit, & à Statibus summo cum
affectu in venatione Gochia excepitur.*

ADvenerat jam venationis, & animi relaxationis gratiâ Serenissimus noster Gochiam, & hospitium eidem placuit castrum; adierunt eundem Goswinus Exken Consul, Licentiatus Rutgerus Abels & Rutgerus Sterck Scabini: sed antequam hoc fieret adierunt Neo-Consulem reformatum, ut apud Serenissimum Electorem pro novo Pastore intercederet, qui hoc munus recusavit his verbis: *Hy wilde dat niet doen, maer wilde aenhalden, datter een van syn Religie fall aengestelt worden.* Cui Consul Exken cordatè respondit; *Wil dy dan den Vorsten tot meeneedigers maecken,* replicat alter: *Daer laet ick haer voor sorgen, als myt maer naer onsen willen hebben: Doet gy u best, my myllen ons best oock doen.* His auditis abierunt directè ad Principem cui tunc aderant Illustres, & Generosi Domini Liberi Barones Joannes Wilhelmus de Wachtendonck Dominus in Hulhuysen, Drossatus in Cranenborgh, & Wellesius de Loe Dominus in Wifsen, & Conraedtsheym, à quibus humanissimè accepti benignè quoque exaudiiti fuerunt: verùm quod Illustres illi, & Generosi Domini ædificaverant, malitia corruptorum istorum subvertit, practicando omnis generis mendacia, & fraudes, de quibus nec homo somniaverat. Quidquid Catholici pro habendo novo Pastore proponebant, nihil proficiebant; quin imò & reliquos Sacerdotes Ecclesiæ ante solis occasum jusserunt emigrare ex

Con-

Consilio perditorum istorum hominum , qui postea revocati cùm aliquamdiu pacem habuissent, tandem per falsorum istorum susurronum calumnias de novo cedere coacti fuerunt.

Hunc actum cælebs quidam ingeniosus, nomine Petrus Exken versibus , & rythmis linguâ belgicâ compositis descripsit, inter alia summopere dolens neonatos infantes deferri debere in oppidulum Asperden vocatum, ut ex sacro baptismatis fonte lavarentur. Ego magis condoleo morituris, qui in hâc ultimâ luctâ, de quâ vel æterna vita, vel mors dependet, solatium nullum habere potuerunt , ut Ecclesiasticis catholicæ Ecclesiæ Sacramentis, & viatico in tam longinquò itinere præmuniti ad tælestem patriam eò tutius pervenirent.

C A P U T IV.

Catholici Cives continuò insistunt pro novo Pastore: mittitur tandem Sacellanus Clivensis; sed refractarii illi implorant auxilium confederatorum Batavorum.

IN his rerum circumstantiis, & desperatâ ferme fide Orthodoxâ tandem post longam supplicationem , & remonstrationem reversalium, & pactorum venit Sacellanus Clivensis in adjutorium infirmorum agonizantium, cui adjungitur Henricus Damiani Canonicus Regularis in Gaesdonck casu urgentis necessitatis; Hisce Catholici cives contenti vivebant , quia tempori & conditioni cedendum erat. His non obstantibum rebelles isti evocarunt tribunum Lambertum Charles Gubernatorem Neomagensem , qui Gochiam veniens in primis Catholicorum villas, & agros,

agros, nec non hortos turpiter spoliavit, & dirupit,
 & quod in commodum cedere non poterat vastavit.
 Quid actum? Ceporinus, & Magistratus reformatus,
 cui & pro formâ adjunxerunt Consulem Exken, & ali-
 quos catholicos cives exeunt quærentes quidnam in-
 tenderet Lambertus Charles: omni benevolentia
 eisdem excepit sub ovinâ pelle vulpem tegens, & quæ
 in pectore habebat dissimulans. Interim Lambertus
 Charles factis magnis premissionibus, quas hic enar-
 rare opus non est, à Ceporino, & sociis in civitatem
 admittitur, qui septem continuis annis catholicos ci-
 vies intolerabili pressurâ, & exactione persecutus fuit
 de consilio istorum refragorum, & vindictam spi-
 tantium. Lambertus Charles intromissus mox jubet
 Petrum Exken auctorem cantilenæ, quam illi Pasquil-
 lum vocabant, Civitatem deserere, quia curiositatis
 causâ tantum fuerat in castris Marchionis Spinolæ,
 quem sequi debuerunt tres alii, inter quos Marcus
 Schinck, & dum Petrus Exken in Cœnobio Gaes-
 donck nocturnum hospitium quæsivit, eidem abnega-
 tum fuit sub suspicione ulterioris mali.

Inter alios præsidarios milites Gofwinus Exken
 alicui locum tenenti, sive Luitenantio hospitium con-
 cedere debuit, qui tales molestias, & excessus isti bono
 seni intulit, ut scribere me pudeat.

C A P U T V.

*Quomodo perduelles isti per vim militarem
 Ecclesiam Catholicis extorqueant, & Predi-
 cantem suum Cathedram ascendere sinant.*

Dies solis sive Dominica agebatur Anno 1614.
 28. Septembris, dum per mandatum Lamberti
 Charles Godefridus Holtkracht Anglus sub ipso san-
 ctæ

Eti Evangelii præconio cum Hollandico milite tem-
plum invadit, rumores excitat, ita ut Pastor, vel sub-
stitutus coactus fuerit cathedralm propter militum
tumultum deserere, & Sacrosanctum Missæ sacrifi-
cium inchoare: Quid sit? Ingreditur mox Ecclesiam
hujus catastrophæ adornator Petrus Ceporinus,
Cathedralm ascendere nititur: Dominus Goswinus
Exken caput, & defensor Catholicæ communitatis
desuper admonitus obviām procedit, interrogans,
cujus mandato talia tentent? Ceporinus ne vel ver-
bum respondit; verū collaterales Prædicantis mi-
nabantur necem bono isti seni, ni abiret. Sed mirabilia
judicia Dei, qui hoc verbum eloqui ausus est, poste
in itinere ipso à prædonibus occisus fuit. Dominus
Exken volens parcere sanguini, & cædibus templum
cum suis civibus relinquit; Ceporinus per vim Bata-
vorum militum Cathedralm scandit. Dominicâ se-
quenti eadem formalia contingunt. Consiliarii regi-
minis ducalis Clivensis desuper scribunt Serenissimo
Principi Nassaviæ Mauritio, qui & respondens gra-
tiosè in mandatis dat, ne Gubernator Gochensis se
rebus Ecclesiasticis immisceat; sed Civibus Catholi-
cis liberum exercitium permittat: Hoc diplomate
accepto Dominus Consul Exken Prædicantem invisit,
quærens quali autoritate nisus talia attentaret; Gu-
bernator his verbis acriter respondit: *Hysal op gaen;*
replicabat Consul tibi datum, & commissum est civi-
tatem custodire, non Ecclesiam diripere, & cives à
divino servitio prohibere; & solemniter protestatio-
nem suam proferebat: Hæc audiens quidam Luite-
nantius alapam dat in faciem civi Joanni Tehhiedt,
gladium evaginat, & nisi alii cives occurrisserent, certè
innocentem perforasset: Hæc formalia prædictus
adhuc

adhuc addidit, se quinque vel sex Papistas velle occidere sicut canes his additis præclaris cor amarum , & invidum sapientibus verbis. *Maeckt dat die Papisten Hoonden uyt de Kerck koomen*; Hæc non sufficiebant; Sacerdote celebrante templum ingrediebantur, altari appropinquabant interrogantes num adhuc Ecclesiam cedere nollent, an Idololatria (sicut isti vocant) nondum finita esset , has & similes blasphemias, & honesti cordis angustias intueri & tolerare præ oculis cogebantur. Desuper fit querela apud Consilia-rios Clivenses , & ab his ad Principem Mauritium , verùm susurriones isti neverunt plurima scripta intercipere, vel in alium sensum detorquere, donec tandem Civitas Gochensis à perditis ipsis , & conjuratis militibus liberata fuerit, sed nondum hujus spectaculi finis.

C A P U T VI.

Injusti illi Proditores querunt sibi acquirere Reditus Pastorates.

JAm Ceporinus de Cathedrâ Evangelicâ triumpha- verat, & plenis buccis venenum suum effundebat ; verùm adhuc desiderabatur quid, quo familiam suam sustentaret, & esurientem ventrem tam suum , quàm suorum nutriret : melior via non apparebat, quàm reditus Pastorales, sive vi, sive fraude occupandi.

Eligitur ergo ad hunc solemnem actum prænobilis quidam , salvâ veniâ , textor peregrinus & vagabundus cognomine Mathias Bernkassel, qui Catholicam fidem simulans pecuniis à Ceporino acceptis se principalibus Catholicorum Civium Conventibus intrudit, auditurus ; num etiam quidquam de gerendo bello, de Hispanis, vel Batavis loquantur. Prodi- tores isti acceptâ informatione quisnam cantilenam istam

istam fabricaverat, majora præmia textori pollicentur, & de facto nummos addunt, ut audiat, an alia negotia inter Catholicos agantur, vel an aliquid à Catholicis practicetur, de quo illi venenum suum jam dudum conceptum extrahere possent. In spem majoris summæ acquirendæ scelestus ille textor conceptum sibi format tam rusticalem, si non scurrilem, ut posteritas dubitare possit, si ex calamo Prædicantis verbi Dei, sicut ipsi pronuntiant, puri & sinceri, tales absurditates effluxerint, & tamen propria manus inventa sub stramine lecti convicit eum.

Ergo conceptum discutiamus : dicebat in primis textor ille nequam Gubernatorem Gelriæ Wilhel-
mum de Verdugho Hispaniarum Regis Tribunum
hic Gochiæ sub amictu rusticali fuisse, atque in lauto
prandio cum cæteris præsentibus civibus contractum
quendam tradendæ civitatis in manus Hispanorum
iniisse ; sed quod adhuc majus est ; in hunc finem Eu-
charistiæ Sacramentum in Gochensis Ecclesiæ Choro
Beatissimæ Virgini Mariæ sacro sumplisse, addito ju-
ramento nemini hanc con spirationem revelandi.
Hæc non sufficiebant ; addiderunt, quod Catholicæ
quærerent Serenissimum Principem Veneno è medio
tollere, & his peractis civitatem Marchioni Spinolæ
tradere, & hæc de causâ accusabantur Cives Catho-
lici ; accusantur de commercio literarum, & quod
supra memorato Marchioni cum adjuncta supplicâ
aliqua munera miserint. Hæc mendacia summoperè
hominibus refractariis placebant, mox ab officio re-
moventur quatuor portarum custodes Catholicæ, &
in eorum locum quatuor reformati intruduntur, ab-
rogatur quoque pulsus Campanæ meridianus ab Ec-
clesiâ ordinatus in memoriam Salvatoris nostri, qui

circa istam horam tam gravem passionem pro nobis miseris redimendis perpeccus fuit. Ulterius proceditur: interrogant textorem, quinam adfuerint, & quos ipsi nominant, textor pecuniâ seductus, confitetur.

Adducitur in primis in hoc theatrum Elbertus Voest Civis, & Caupo Gochensis sub suspicione, quod Gubernator Gelriæ de Verdugho ibimet per noctasset, cuius parens Consul hujus civitatis fuerat; non sufficiebat unus, ad plures pervenitur, & tali praxi qualem vix honesta anima, & conscientia admittere posset. Quid accidit ulterius, fingit desperatae fortunæ socius Textor eidem habitu conventui interfuisse, filium prænominati Elberti Voest, Henricum Voest, Consiliarium Aulicum Regiminis Clivensis. Nec poterat hanc sortem eludere Venerabilis senio Consul Gofwinus Exken, sed qualem virum prædictus in omnibus se præstiterit, sequentes paginæ demonstrabunt. Additur Henricus Damiani Supprior in Gaesdonck & Sacramentorum pro Gochensi Communitate Administrator, nec non Dominus Cornelius hujus Ecclesiæ Vicarius in exilium missus & rursum evocatus de novo cedere cogitur. Introducitur quoque in hanc scenam Dominus Licentiatus Abels, cuius pater hujus Civitatis Scabinalem sedem confederat. Annumeratur his præclaris quidam civis Theodorus ab Heucklum, cuius venerandus parens adhuc eo tempore officio Scabini fungebatur. Ab hoc patre nimirum Casparo ab Heucklum qui duxit in uxorem Wendelinam Schröders, plurima bona ad familias Catholicas pervenerunt, sic ut isti Innocentes Captivi honestas familias suas ab isto tempore potuerint deducere Sigillis & literis præmuniti à ducentis annis, quos tamen tales Hæresiarchæ neonati subvertere

vertere ausi sunt. Adjunguntur prædivites fratres Arnoldus & Leonardus Roeloffs, de quibus primus ædificavit præclaram istam ædem forum respiciensem, nunc curiam. Horum Dominorum Fratrum Parentes, quod notatu dignum, in vinculo conjugali perseverârant sexaginta tribus annis & uterque ad senium nonaginta annorum pervenit: accusant insuper Joannem Abels nepotem prænominati, cui uxor erat Bruxellis nata. His copulatur Conradus Keysers postea à Serenissimo Neoburgico Principe provisus Judicio communitatis in Scravelen. Necdum pervenimus ad metam, oportebat mendacia falsis criminationibus cumulari. Adducitur ergo Godefridus Francken civis summoperè honestus & latinæ Classis Professor, cui etiam uxor erat de stirpe Abels. Putârunt fortè illi susurrones, quo magis captivi torquebentur, quò citius falsitas ab ipso allegata erumperet, idè adjungunt quandam expertum Chirurgum Wilhelmum van Dreeck bonæ & antiquæ familie Civem, quasi verò in ipsius potestate esset taliter tortos sanare posse. Pervenimus ad alios; Joannes Verlingh antiquæ familiae Successor, Matthias Mom eandem fortè subierunt. Hisce associatur antiquæ stirpis germanus Jacobus Hasenbergh, qui licet nomen leporis referat, attamen malignos venaticos canes istos effugit. Sic omnibus dispositis proceditur ad actualem harum calumniarum executionem. Ergo de nocte Anno 1615. secunda Martii ipsis Bacchanalibus domos allegatorum civium invadunt, è lectis rapiunt, & hinc & inde cum duobus militibus & uno officiali disponunt, nonnulli deducuntur in castrum, aliqui in ædem pastoralem, inter quos fuit Dominus Consul Exken, & Theodorus ab Heucklum, & Domini

Roeloffs, cæteri, quod dedecus est hic enarrare in portam Clivensem, ubi fures & latrones hospitari consueverant, deducti fuerunt. Interim mittunt medium Centuriam in Gaesdonck : verum videntes Priorem loci istius esse virum decrepitæ ætatis, eidem condonârunt. Ergo omnibus sic constitutis infamis iste Ceporinus epistolam proditoriam concipit, sed talem ut castis auribus vix exhibere audeam ob revelationem secreti foeminei sexus, sed quia veritas aliud non patitur, sic revelare scelesta illa Consilia cogor. Exemplum igitur benebole Lector fictæ Epistolæ hic habe.

Den 10. Februarii Anno 1615. per Dominum nostrum Iesum Christum victoria.

Weiset guter Freund Burgemeister Exken das es mit den Monatflus eenmael versocht sy, aber is niet gelückt, dan es soll zum Troost der arme Catholycken wyders versocht werden, hoffend Brandenburgh fall daer door wegh genomen uverden den Brandenburgh moess hinvegh, andcrs hebben die arme Catholycken keinen Troost. Ich bitte ihr vvollet zusehen, dass es nicht soo seer unter das Volck quäme, man soll das eerst ins Werck stellen, eermen het mit den Suvert versœckt. Ihr seyt von myn Heer Gerrit seer gegrünset und grünset mir euyver liebe Hnysvrouuu, Rutgen Abels, und Consorten die met U. L. versieren: by my Heer Gerrit uvas ich vermagh.

Absturdiorem quis unquam epistolam à Prædicante vidit, non invenitur in ea nisi mera scurrilitas, & impudentia. Nonne illum Socium pudere debuisse ut revelaret secreta foeminarum, qui ipse uxorem habebat. Quare per fluxum menstrualem Serenissimus Dux noster occidens erat; quasi verò malevolo

volo animo, quem tu Ceporine in pectore gessisti, media alia ad hunc finem assequendum non sufficerent. Probari nobis non potest, quod unquam innoxium quemquam occiderimus; vos Calvinistæ interfecisti Dominam vestram Reginam Scotiæ Mariam Stuarta. Nos fideles sumus Imperatori, Regi & Duci nostro, vos Puritani ut vocari vultis infideles fuistis Serenissimo Regi vestro Carolo primo Angliæ Regi, quem Bliverius Cromvvel & Marcellus Fairfax in publico theatro inaudito exemplo decollari jusserunt, sicut & proba Serenissima Maria Stuarta ex invidia ab Elisabethe concepta capite quamvis valde infeliciter truncata fuit, pristinam pulchritudinem, & honestam formam usque in extremum retinens, & potius capitis amissionem sustinere volens, quam impiis Elisabethæ consiliis favere. Idem contigit captivis Civibus, quoniam dum viderent causam esse extremæ necessitatis & periculum esse in morâ, tam diu laborarunt, ut hæc res prætextatum ab iisdem finem assequeretur, quod vobis benignis Lectoribus sequentibus facile patebit.

C A P U T VII.

Quâ viâ Proditores isti Epistolam male-volo animo conceptam tradant Lamberto Charles, & Regimini Clivenſi.

Igitur hujus Tractatûs socii mox procedunt ad Gubernatorem Castri Gochensis, & fictam epistolam eidem in manus tradunt. Hæc non sufficiebant iisdem confratrum suorum venditoribus, Clivos abeunt, & Lambertum Charles in suas partes trahunt, quibus adjunguntur duo Consiliarii Regiminis Clivenſis sub-

specie, ut res gesta majorem formam, vel apparentiam veritatis caperet. His itaque peractis Lambertus Charles Embricam proficisciatur Gubernatorem invisurus. Imprimis rogit Antonium Weenhoven Gubernatorem Embricæ, ut principales Catholicæ Fidei defensores in custodiam rapiat his additis verbis: Hispanum Exercitum jam modò in viâ esse, & Vesaliam appropinquare. Respondit Gubernator Vesaliæ impossibile esse in tam grandi nive, & hyemali tempore copias adduci posse additis his verbis: *Hy vvol eerft Befehl van hooger Overricheyt vervvachten.* His non obstantibus Lambertus Charles portas civitatis curat concludi, sicut & Resæ contigit, etiam prædivites Catholicos cives milite præfidiario onerat, & quidem; ut nullus effugii locus supereffet. Hi impii susurrones tale odium conceperant, ut nihil cogarent, nisi concives suos perdere, sanguinem innocentem fundere, & ex post villas, & agros, & bona diripere.

C A P U T VIII.

*Quâ arte Cives captivati fuerint, &
quo loco positi.*

QUâ injuriâ hæc captivitas contigerit, vobis breviter enarrabo. Luitenantius quidam imprimis tales motus, & violentias excitat domi D. Theodori ab Heucklum, ut vix mortis periculum evaserit; uxor ejusdem Petronella Exken brachium mariti amplectitur, & defendit factâ firmâ promissione, ut quem in vivis virum habuerat in captivitate quoque deserere nollet. Advertendum quòd de die inter cives quoddam spargamentum factum fuerit, de quo-

quodam nocturno tumultu , qui prô dolor honestis
 istis civibus satis violentus , & fatalis fuit. Captivus
 ergo D. Theodorus ab Heucklum plurimis perpes-
 sis calumniis, & militaribus excessibus cum uxore
 ducitur ad cœmiterium nive usque ad genua coo-
 pertum, deinde in Pastoralem ædem , & tenebrosum
 cubiculum , in hoc domicilio erat antiqua quædam
 sedes, cui Dominum Theodorum ab Heucklum per
 vim imponunt , cui taliter sedenti officialis dixit ;
Daer sult gy te Nacht u Herbergh hebben. Post hoc
 exivit ad Culinam lumen inventurus, ut scripta di-
 repta ex ædibus Catholicorum civium exploraret.
 Interea Petronella Exken amplectitur Maritum suum
 dicens. *O Heer Lieffste wat is dit voor een Werck?*
 Cui Maritus respondit. *Dat weet Gott , maer ick
 niet.* Mox his peractis audiuntur voces insolentium
 militum, *sy snyden Heer Cornelis all in die Armen,*
 præcidunt venerabili isti Presbytero tunicam & fu-
 nem desuper inducant , & manibus post tergum li-
 gatis in vincula cogunt , sequitur Signifer quidam
 hospitium habens apud D. Theodorum ab Heuck-
 lum, & Petronella Exken, cui Petronella dixit ; quem
 finem hæc captivitas sumptura foret? cui alter viru-
 lento animo respondit ; *Nu wy den draet hebben ,
 sullen het Clouwen oock wel finden , & hilce dictis
 abiit milites suos , sicut & alios ibidem relinquens.*
 Interea quidam Luitenantius Petronellam Exken
 domum cogit, & eidem Comes fit hoc reliquo militi
 præsidario præclaro christiano mandato : *Wan sy
 met een sullen spreken , soo slaet haer met de Mus-
 quetten doot , als de Honden.* O præclarum inter-
 concives sub uno Principe viventes charitatem ! Pe-
 tronella Exkens domum rediens cum quodam

Luitenantio cogitur , ut omnem Archivam aperiat ex Mandato Gubernatoris, qui nihil quærebat quam factam epistolam apud quendam Catholicum civem deprehendere , occupatus ergo in inquisitione scripturarum ; & literarum Luitenantius ille proferebat hæc verba. *Had ick een Missive, daer wou ick well duysent Gulden om geven :* Respondit Petronella taleim Scripturam in ædibus meis non invenies , ex qua tantum commodi haurire possis. Ad speciem quandam veritati tribuendam suadent corrupto isti textori , ut etiam Captivitatem subeat , promittentes magna lucra , & salvam corporis liberationem , sicut ex sequenti Capitulo vobis constabit.

C A P U T I X.

Infidelis ille textor ex consilio invidorum accipit instructionem , qualiter respondere . Consilio bellico debeat , & quidnam capitivis imponendum foret.

Examinatur ergo hujus infamis conceptus instrumentum promissionibus corruptus Mathias Bernkassel ætatis viginti & unius Anni sordidus & perigrinus textor ; hunc interrogat Gubernator Holtkrach hisce verbis : constat mihi quod quidam Conjurati Papistæ intendant Serenissimum Neoprincepem veneno è medio tollere : Mathias textor nebulo respondet , *dat hy int gering st van dat Werck niet en wiste.* Post hæc interrogat Gubernator quam notitiam habeat de supplica Bruxellas ad Marchionem Spinolam missâ , & quænam contenta in tali epistolâ haberentur. Quid facit Textor à Ceporino desuper optimè informatus ? videns nimirum

torto-

tortorem præsentem veniam implorat, dicens : se omnes hujus conspiracyis circumstantias quamvis fictas bellico Consilio aperire velle. Post veritatem horum mendaciorum revelatam conclamat omnes istius bellici Judicij Officiales se à perduelli isto Textore deceptos fuisse, sed quo mediante nisi sanguisugo Ceporino : Interea Ceporinus continuò castrum insidet, & omnis generis praxes Textori, ut ita dicam, suggerit, qui Textor tam stupidus erat, ut quod antea Gubernatori sub specie veri revelaverat, postea ne quidem sciverit. At revertamur ad captivos in æde Pastorali : hi taliter ab iniquis militibus custodiuntur, ut omni momento iisdem liberum foret egrediendi ; sed hoc honesti cives, & bona conscientia testimonium circumferentes non intendebant, sed per viam Justitiae famam suam ab aliquibus centenis annis deductam funerali tumulo inferre cogitabant. Judas tamen in mente habens Dominum Salvatorem nostrum tradere, dormientibus cæteris Apostolis vigilavit : Ceporinus honestis ipsis civibus in securitate conscientia requiescentibus non dormivit ; sed omnem practicablem malitiam in Innocentes diffudit. Interea Dominus Consul Goswynus Exken petit, ut militari Judicio sistatur auditurus, de quibus punctis, licet injustè, accusetur, & quānam de causâ tam violenter de nocte è lecto abstractus fuerit : tunc practicata mendacia eidem proponuntur, nimirum : Serenissimum Principem nostrum veneno interficiendi, & Civitatem Hispano militi tradendi : hisce calumniis Goswynus Exken respondet, sibi mirum & peregrinum videri talia mendacia fingi posse, addens se de ipsis rebus nihil scire, & tam innocentem esse quam parvulum eā-

dem nocte natum : quam confessionem Petronella conjux posterâ die ex revelatione cujusdam Signiferi ibidem hospitantis intelligit, quem adhuc in cubili morantem cum socero suo Heysterman invisit, quærens, quidnam captivis criminis imponeretur ? dicit Signifer : Daer iß eenen Wever gevanghen, dy seydte eenen Brief te hebben aan Borgemeester Gofwin Exken, daer in staet, dat men den Printz vergevers sou, den Borgemeester seyt, dat hy daer van niet en weet. Petronella Signifero respondet hisce verbis : *Dit syn immers Loogens die men met vingeren tasten sou ; want myn Vader koomt doch immers by den Printz niet , mitz by een oudt onvermogendt Man is, ende nu nergens meer en reist.* Cui Signifer responsum tale refert. U Vader sou dat niet doen, maer de Heer van Wissen, Hulhuysen, de Vrouw van Nieren Clooster, de Heeren van Xanten, als oock Principale Geestelycken, en Adelycken souden dat doen; u Vader sou alleen weetenschap daer van hebben. Conceptus eorum Falsariorum erat, tales è medio tollere, quorum humeris defensio Catholicæ Religionis, & Privilegiorum incumbebat, nihil curantes, dummodo conceptum odium felicem sortiretur fineim; cogitantes, si Principales Status Ducatus Cliviæ sortem, sive dishonestam mortem subierint, de causâ triumphantum erit: sicut & Pharisæi tam diu Christo Domino insidiati sunt usque ad enormem & inauditam Innocentis crucifixionem; sed sicut malevoli Judæi clamârunt: Sanguis ejus super nos, & filios nostros, à Tito & Vespasiano debellati, justas pœnas luere coacti fuerunt: ita & memoria scelerorum proditorum evanuit, sicut ex sequentibus manifestum fiet.

C A P U T X.

De Captivorum examine, & confrontatione contra perditum Textorem.

Deducuntur interea è ferreâ caveâ, & porta lapidea horâ tertîâ postmeridianâ honesti Cives Mathias Mom & Joannes Verling manibus post terga revinctis, sicut & eosdem ex propriis ædibus abstraxerant Ceporino cum asseclis suis in foro stante, & attendente; num etiam veram prædam, & destinatos putatios malefactores cœpissent. Adductus ergo in conspectu Judicij militaris à Gubernatore interrogatur de omnibus supra memoratis mendaciis, quæ isti bono viro valde peregrina videbantur. Igitur interrogat, quisnam sit personæ suæ accusator. Dicit Gubernator: *Sy misten wel, dat het waer mass, hy soude sick niet laeten bederven met pynighen, maer soude goetwilligh bekennen, daer stont Genade by, die hens genoegh vvedervaeren souw meer als anderen.* Cui Mom respondit: gratiam vestram non quero, innocens enim sum. Responsum dat Gubernator: *De andere hebbent bekent; men sal U oock wel doen bekennen.* Hisce dictis mandat carnifici, ut innocentem comprehendat, qui mox accurrens eidem manus & pedes fune tam acriter constringit, ut sudor sanguineus effluxerit, deinde deorsum projicitur in scalam, additis minis tam diu corpus extrahendi, usque dum mensuram scalæ adæquasset, aut omnia ei proposita fateretur. Quibus Mom herculeo animo reponit, membratim quamvis me decerpatis, mendaciis vestris non favebo; carnificinam hanc coram Domino Deo defendere non poteritis. His dictis Guber-

Gubernator cubili exit, & paulò post revertitur caput movens; intrantem interrogat Mom, an necdum finis immanis istius torturæ appropinquaret, se paramum esse ad præstandum vadimonium, & si unus principalis & honestus Civis non sufficeret, plures substituere posse; quibus Gubernator Holtkracht respondet: *Sulcke Borghen sult ghy niet krygen;* jubens quoque carnifici, ut eundem è scalâ dimittat, additis his circumstantiis: vade, modò efficiam sati, ut fatearis. Deducitur exinde in culinam, ubi soror Gubernatoris uxoris ad focum sedebat plorans, & caput manu tenens. Interrogat illa: *Syt ghy oock een van de gevanghen Mans.* Cui Mom respondit, quod ita; his auditis manus complicat altâ voce dicens: *Wat hupser Mans syn dat, vvat Haet, ende Niedt is in dese Stadt, & potum eidem refocillantem porrigebat.*

Observa, quod Domicella ista miseris, sicut altera Martha compatiens, & uxor Gubernatoris filiae erant Civitatis Neomagensis, quae sine dubio adhuc veterem Belgarum candorem pectori inscriptum habentes sati adverterant inhonestam inter Ceporinum & conjuratos conversationem; sed quia foemineus sexus fragilis, sic immanitati istorum cedere cogebantur, alias fortè secretum revelaturæ.

Venit ad Riga Joannes Verlingh, cui similia sicut antecessori suo proponuntur de subscriptione Suppliæ, & muneribus Marchioni Spinolæ missis, ut falsitati fucum adderent, dixerunt, eundem in ædibus Elberti Voest de assato lucio lautè comedisse; addunt tu es bonus Catholicus, & Papismum propagare studes, ideo his negotiis consensisti, fatere tantummodo, gratia tibi fieri. Respondet Joannes: Gratiam vestram

non quero, pugnabit pro me veritas. Hæc audiens quidam Officialis surgit, & in hæc verba irrumpit, dicens : *Het vwill daer op ankoomen, als ons geseydt is ; dat de Catholycken haer versvoren hebben, dat sy sich liever doodt vullen laeten pynighen, als malkanderen beklappen.* Idem ergo tractamentum in scalâ expansus sustinere cogitur, quod præcessor ejus Mathias Mom subierat, quamvis Dominum Deum in testem vocari, ut extremum Judicium sibi denegaret, si quidquam de hisce propositionibus veritate niteretur. His non obstantibus dictis tortura perseverat, donec videntes infraictum innocentis animum, & verum puræ conscientiæ testimonium ; solvi curant, & ad ferream istam furum caveam rursum deducunt.

Appropinquat huic optimo Confessui Conradus Keyfers captivitatis suæ sedem habens in Castro, idem de omnibus falsis criminationibus interrogatur, & accusatur : respondet Keyser, optare se signum fieri à Deo, si calumniæ istæ veræ sint ; pergit ulterius Keyser Textorem interrogans : adfuitine tractatui, dum subscriberetur ? respondet Textor : *Neen, dat vveet gy vvel, dat onser vier offte vyff stonden op de Deel.* Interrogat ulterius, quo in loco Sacramentum in hunc finem sumptum fuerit ? cui Textor dicit, *op den Weem.* Quo auditio mox Gubernator verbum suscipit, dicens : *In de Kerck Mathys, cui ille, Jæ myn Heer in de Kerck, en op den Weem oock.* His auditis addito juramento declarat Keyser, sibi nunquam cum præfato Textore commercium fuisse, sed magis ut semi-fatuum apparere. His peractis educitur, & sub præsidario milite detinetur.

C A P U T XI.

Examen Joannis Abels, cui quædam notitia cum Textore erat.

Hic igitur ex Portâ vulpinâ extractus aliquamdiu ante fores cubiculi, in quo præclarissimi justitiæ Administratores sedebant congregati, expectare cogitur. Egreditur interea nequam ille Textor planè perplexus, & lachrymis perfusus. Stanti ergo Abels in conspectu militaris tribunalis antem memorata mendacia proponuntur, quæ omnia præfatus Abels negat, insuper petens sibi criminatorem talem demonstrari. Introducitur Textor, cui sanguinis premium nimis aurum à Ceporino & consortibus acceptum idem Abels in staterâ ponderaverat. His igitur verbis Textorem alloquitur : *Syt ghy den geenen, die dees loogens hebt aengebrogt?* addit & seriò admonet, ne falsum testimonium dicat, Textore desuper muto permanente quidam Officialis vices implet, Textori significans : *Hy soll bekennen, als hy eens bekent had.* His peractis, & Officialibus garrientibus Textor quædam verba quasi clauso ore ruminat. Dicit Abels, loquere apertè, ut videam te, si bonæ indolis socius es; in quo loco Supplica signata, quo tempore Verdugo Gochiæ fuit, omnes circumstantias adde? opera tua manifestum proditorem te facient.

Involat denuo in hanc propositionem antedictus Officialis dicens : *Hy soude soo stout niet spreken, hy vvaer te Brussel niet.* Datur desuper mandatum carnifici, ut innocentem apprehendat, qui non longam moram passus, manus & pedes acriter colligat, in præparatam scalam sternit, taliterque exercet, ut ne

ne vel membrum permanserit illæsum. Taliter ergo pendens interrogatur : num extreum Dei Judicium sustinere vellet, omnia ei prælecta falsa esse ? cui alter patiens respondit, ita. Tunc è scala dimittitur, & taliter tortus rursum portam scandere cogitur. Prodit in medium post hos Elbertus Voest , cui extorquere volebant diem cœnæ factæ in ædibus ejusdem cum Verdugo & quindecim aliis , & protractæ in seram usque noctem. Respondet Voest : interrogate milites apud me hospitantes , si unquam tales personæ domi meæ congregatæ fuerint ; verum hoc illis non arridebat, quia non veritatem , sed perniciem quærebant, ut tandem bonorum possessores fierent. His actis ad captivitatem suam migrare cogitur.

Quartâ Martii tandem ordo pervenit ad Jacobum Hasenbergh , in cuius ædibus repertæ fuerant quædam cantilenæ de factionibus & rumoribus à Ceporino practicatis per Petrum Exken compositæ. Hic necessariò virulenta ista corda , & oculos vindictam spirantes satriare debebat ; ergo ad torturam producitur taliter , ut pluribus vicibus mentis impos fieret. Instabant invidi , donec tandem ipse carnifex lassus ait : *Hy moet eerst weer kout worden.* Sed non sufficiebat, post meridiem de novo ad tam immisericors opus proceditur, ubi taliter eundem exercuerunt, ut cutis nigrum colorem induerit , & semivivus domum deportatus fuerit. Carnifex desuper fatigatus in morbum incidit, & curru Neomagum vehitur , in fine vitæ suæ paulò post confitens, *Cives esse innoxios* & se à Deo punitum , quod tales angustias honestis istis intulisset.

Carnifex debitam mercedem suam jam tum receperat. Ceporinus non quiescebat , sedens integris die-

diebus in Castello, & omnia Catholicorum scripta
quasi venaticus canis perscrutans; si fortè quid inve-
niretur, quod falsis conceptibus suis applicare posset:
Cantilenas in primis à Petro Exken compositas devo-
rare non poterat; quare posterā die evocatur carni-
fex Clivensis, rursum torquetur Hasenbergh, sed
nihil confitetur, nisi prædictas cantilenas à Petro Exken
compositas esse, de reliquis calumniis se nihil scire.

C A P U T XII.

*Adventus Lamberti Charles describitur,
quem accedit temporalis Consul pro
captivis intercedens.*

COpparet ergo Gubernator Lambertus Charles, Neomagi & totius districtū Clivensis patriæ ab hac parte Rheni Gubernator, ut hunc actum præ-
sentiam suā ad optatum finem deduceret. Hoc adver-
tententes Matronæ Gochenses Consulem pro tempore
regentem Petrum van Hegenraeth justum, quamvis
Reformatæ Religionis, virum accedunt, qui de con-
ceptâ falsiorum calumniâ prorsus nihil sciebat; ro-
gant ergo Consulem, quatenus ratione sui officii cum
optimis Civitatis Civibus pro liberatione Innocen-
tium Gubernatorem invisere, & pro eorundem libe-
ratione intercedere non gravetur. Officium igitur
boni Patris-Familias implens Gubernatorem adit, &
sequentibus verbis interpellat: *Waerom hy op het
seggen van eenen Wever, ende Lichtmisje alleen soo
veel Mannen, ende degelycke Borgers ingetrocken
hadde.* Inquit alter: *Wy staen op den Wever al-
leen niet, hebben al andere inditien.* Hisce indigitans
falsam Epistolam, sicut etiam reliqui militaris Tribu-
nalis

nalis Officiales à conjuratis istis malè informati respondebant de copiâ literarum traditâ ; Qui omnia scripta in pejorem partem interpretabantur , sicut & fecerunt cum literis Domini Voest Patri suo exaratis , sicut expost in vera Textoris confessione manifestum fiet , dum enim Textor enorme crimen suum fateretur , ulteriora indicia non apparuerunt . Quamvis hæc omnia à captivis Catholicis bonis rationibus propositis irritarentur , firmaverunt sibi sermonem nequam pertinaces in effusione sanguinis immeriti .

Ulterius progrediamur . Leonardus Roeloffs à domo Pastorali rapitur , cui eadem crimina objiciuntur , his additis circumstantiis : Pro sexaginta viris tu in ædibus tuis habes & conservas arma . Falsum est , ait Roeloffs , ite & perspicite hospitium meum , si tale quid armorum reperire possitis , & post aliqua verba defensiva honoris rursus inauditus ad locum unde deducitur . Apparet milite præfidiario cinctus Reverendus Dominus Presbyter Cornelius , cui idem fictus apparatus ob oculos ponitur , hoc addentes , propriam dexteræ subscriptionem in manibus eorum de facto detineri . Dixit Presbyter : anima mea , & salus mea æternæ damnationi sit obnoxia , si mihi id ipsum demonstraveritis . His auditis prodit in medium venerabilis istius Judicii bonus assecla Textor , referens Dominum Presbyterum non adfuisse in sub-signatione Supplicæ . Tum quidam ex Tribunal iudicantes hæc proferebant : *Gy hebt Jesuyters Streek over U , gy maeckt de Luyden wyss , dat sy int Martelaers Boeck sullen koemen .* Replicat Presbyter Cornelius : Ostendite mihi propriam manus subscriptionem , quam vos habere affirmatis . Textor dicit , detinuit se in cubili . Inquirit Presbyter , in

quonam ergo cubiculo latitavi ? dum verò Textor occasionem loci istius prorsus nesciret , verba abrumpit Gubernator , dicens : *Wat hy sulckx behoeft te vraegen , sy wisten well , dat het waer was , dat hy het onderteekent had.* Invehitur in Cornelium Textor : *Ick ben toch in uwen Hoffgewest daer een groot gatt in de muer is , ende oock ob den Kerckhoff , daer Koningliche Soldaeten souden door syn gekoomen.* O mendacia ! respondet Cornelius : ocularem inspectionem desuper sumite , & attendite Domum Pastoralem quidem proximè muro adjacere , sed in tali loco , ubi Civitas Nirsā duplicit , & pratis cincta ab externo milite nequidem tentari , multò minus occupari possit . Loco facienda inspectionis torturam minantur . Cui examini Gubernator hæc formalia jungit : *Wy sullen U wel anders leeren , indien gy het niet goetwillig bekennen wilt ; quibus verbis Dominus Cornelius plurimas fundamentales rationes apponit , inter cætera quærens :* Quidnam ergo confessionis ab eodem intenderent . Gubernator nihil nisi ruinam bonorum civium , & proprium emolumentum sitiens respondet : *All swoert gy my dat toe , so gelooff ick U evenwel niet , want gy Papenkunt malkanderen geringh de absolution geven , gy maeckt de Luyden wys , dat sy int Martelaers Boeck sullen koomen.* Hæc Cornelius audiens , & advertens verbis nihil profici , faciem suam vertit versus Textorem , cum Salvatore nostro dicens : Amice ad quid venisti ? Tu ais Domum meam frequentasse , meā vitā cum notitia te non vidi . Respondet Textor sceleratissimus : *Ghy en hebt de Supplicatie oock niet onderteekent , maer ghy hebt well hooren seggen , dat sy gemaeckt is.*

Provocat Presbyter de novo , ostendite mihi propriam manum , quam Gubernator se habere cum tanto plausu jactat. Hisce dictis Textori jubet , ut cubile deserat, iracundus totus dicit : *O gy jesuyter ! gy maeckt hem verbaest , wat loose streek hebt gy achter de ooren.* Hisce amaro animo prolatis exit , & post modicum revertitur jubens tortori ut ad torturam procedat. Protestatur Presbyter Cornelius justitiae administrationem implorans. Cui quæso magis competebat tortura , quâm nigrâ notâ signato Petro Ceporino instructori depravati Textoris , qui nunquam ab examine dimissus , vel revocatus fuit , quin nigrum istum corvum prædæ inhiantem consilii causâ acceſſerit , ut exploraret , quidnam tribunali bellico respondendum esset , sicut à multis civibus , & ipsa Gubernatoris uxore & sorore plurimis vicibus observatum fuit. Attamen huic conatui Dominum Cornelium torquendi opponit se tribunal , inter alios præcipuè discreti animi Domini de Doe nauw , & Capitaneus Viegh , qui paulatim adver tentes sub cineribus malignum ignem latere , prorsus hoc permettere nolebant. Gubernator videns se illu sum , & nihil ulterius proficere posse , inquit : *Wel Heer Cornelis soo willen wy het dan op u laeten staen tot morgen vroegh.* Replicat Dominus Cornelius : *Ick soll u niet ontloopen.* Cui respondet Gubernator , *Men soll u oock genoegh bewaeren , ende u wel doen bekennen.* His examinatis restabant adhuc Licentia tus Abels , Arnoldus Roeloffs , Theodorus ab Heuklum , Wilhelmus van Dreck , & Godefridus Francken , qui pro hac vice molestias istas Numine propitio , & fortè fragilitatem eorundem desuper spe-

Etante non sustinuerunt, attamen in captivitate constituti libertatem suam ad tempus amiserunt.

C A P U T XIII.

Dominus Consul Exken de novo examen subire cogitur.

Principalibus ut plurimum invidentes, & eos, qui maximè obstabant falsis calumniis, è numero vivorum tollere allaborantes producitur denuo in funestum hoc theatrum Consul Exken. Quintā Martii igitur Congregationi militari grandævæ ætatis vir Consul Exken s̄istitur, in cuius conspectum producitur Textor manibus constrictis sub specie, quasi modò torturam sustinuisse. Tum Gubernator sermonem orditur his verbis: *Ick heb hem wel laeten overhaelen, tot dat hy de Waerheyt bekent heeft, ende daer by gebleeven.* Quod tamen non contigerat sicut p̄st ex Textoris vera confessione satis patuit. Quibus propositionibus hoc modo, quamvis idiomate belgico respondet: De rebus istis tantum mihi constat quantum de horâ obitûs mei, & si allegata probari possent, ut Dominus Deus sibi vitam quām-primum eriperet. Adjungit: Tribunum de Verdugho nunquam novi, literas tales non legi; verū si idipsum probari possit, dignus sum, ut à quatuor equis in frusta discerpar. Pergit ulterius: neque mihi notum est, Serenissimum Neo-Principem nostrum in prandio apud Illustrissimum Dominum fuisse, nec in Abbatia Vallis comitis vulgo *Nieuwen-Clooster*, in quibus locis refractarii asserebant Principem toxicō enecandum. Addebat insuper: à parte istâ, quam Textor monstraverat, civitatem occupari non posse.

Hisce

Hisce prolatis adstipulatur Tribunal militare. Tunc Consul Exken videns se vera pronuntiasse, ait his germanicis verbis : *Waerom gelooft gy hem dan.* Videntes se nihil proficere posse, validis rationibus convicti, redeunt ad falsam Epistolam, dicentes : Dominus Berendonck modò Clivis in captivitate constitutus, omnia confessus fuit. Nota : hic erat Presbyter Gochiā ejectus, cuius nomine falsæ literæ conceptæ fuerant, cui sociatus aliud mendacium, nimirum : *Captivitas Illustrium Dominorum de Wissen, & Hulhuysen,* nec non *Licentiati, & Consiliarii auxili Coppers.* Omnia hæc mendacia erant, verum perversorum hominum praxes ad similia attentanda dirigebantur. Ulterius Lambertus Charles pergit : Si talem hæreticum Principem occidisses, *soo sonde men U voor eenen Sanct aengesien hebben, ende gesongen, Sancte Goswyne ora pro nobis.* Hic benevolè Lector apertè vides, quâ injuriâ Dominum de civitate tam bene meritum affecerint. Prælegunt post hæc copiam falsæ Epistolæ à Ceporino conceptæ. Dicit Consul, se talem Epistolam totâ vitâ suâ non vidisse, demonstrans desuper collusionem inter Textorem, ejusque conjuratos, & Gubernatorem, quare vehementer excandescens torturam minatur. Nihil hisce motus Consul tunicam solvit, nudum pectus quasi scutum objicit, dicens : *Ick staε hier in ure macht, maer kunt lycke well niet meer doen, als U Godt toelaet.* O præclarum puri & sinceri animi & bonæ conscientiæ testimonium ! Inchoatur ergò à fundamento omnia mendacia ista refutare, narrans historiolam desumptam ex Vaierio Maximo Libro 3. C. 7. de quodam Marco Æmilio Scauro viro eminenti : Hic apud populum accusatur à quodam for-

didæ plebis proditore Vario Sucronensi de acceptâ à Mythridate Rege pecuniâ, ut civitatem & populum proderet. Quid agit Marcus Æmilius ? impavido animo se tuetur, dicens : quidnam in persona mea aliquando improbum vidistis, cùm semper apud vos tuerim ? hic accusator extraneus Romano Populo non imponet Marcum Æmilium unquam Reipublicæ infidelem fuisse ; cui jam credetis, accusanti vel accusato ? mox Populus Romanus invidum proditorem ejecit. Hisce Consul addit : cùm infamis iste Textor talia non solum de me , sed & de aliis Civibus , & quod caput est , de ipsa Nobilitate practicare ausus fuerit , honesto animo discutiendum relinquo , an tam peregrino Textori , aut senibus hujus Civitatis Inquilinis magis credendum sit. His dictis Militare Tribunal concludit , Textorem torqueri debere ; verum Gubernatores planè partiales id ipsum permettere nolebant à sanguinolentis corrupti , etiam scrupulum in tam laxa conscientia sibi formabant , quia Textori stipulatò appromiserant captivos sexies torquendos fore , antequam ad talēm socium sors perveniret , his additis : *Tot een recompens sult gy groote Bourghoven van de Catholycken ontfangen* ; sicut postea Textor in sua confessione edixit.

C A P U T XIV.

*Cælebs ille Petrus Exken capitur , torquetur
misérabiliter , & planè mirabili modo
liberatur.*

Progressuri igitur ulterius , aufpicium infelicis hujus tragediæ incipiamus à Gubernatore , & Militari Confessu , qui interea ceperant Petrum Exken autho-

authorem hilaris Cantilenæ. Quid huic probo Cælibi contigerit, & qualia passus fuerit, videbitis ex confessione, & revocatione Xantis factâ, dum per Divinam clementiam pristinam libertatem adeptus fuerat. Negotium liberationis ejusdem taliter successit. Manus furtivas quidam miles præsidarius miserat in lineamina strata in prato vulpensi, sive ut vulgò dicunt *op de voospoortse Bleyck*. Hic miles in eadem tutri custoditur, quamvis jam captivatus collegas milites implorat, ne aliquod scandalum subire cogatur. Appromittunt socii auxilium, instrumenta subministrant occultè, ut effugii locus esset. Effringit ergò murum istius turris, miserum Petrum Exken taliter (ut pedibus vix aut ne vix quidem incedere posset) tortum dorso suo illigat, brachium quoddam Nirsi (ut adhuc videre est) transire cogitur, usque dum fermè mediâ horâ à Civitate pervenit ad ædes rusticales. Hic villicus commiseratione tactus eundem misellum currui imponit, & Xantos ubi Hispanicum erat præsidium perducit. Vix Sole orto mox convolant, & pleno ore evomunt hæc verba perditæ isti bonorum Civium hostes hisce verbis: *Sou he niet waer zyn, daer is all schoon een uytgebroocken.* His sequentibus paginis videbis, quâ arte & fraude, si non dicam, violentiâ homo honestus ad dicenda falsa, & quidem talia cogi possit, ut non solùm se ipsum perdere, verùm etiā per immanem torturam coactus fuerit consanguineos suos & concives in extream calamitatem, & miseriarum abyssum demergere. Subjungam hisce veram copiam latinâ linguâ, quâ viâ cum misero Petro Exken processerint, quamvis idem tam mirabiliter à captivitate liberatus omnium per torturam expressorum mendaciorum revo-

cationem fecerit, & protestaverit se coram Domino Deo defendere non posse, si tot praeclari Cives suū causā paterentur, quia per intolerabile martyrium has falsitates eidem extorserant. Habe ergo benevolē Lector epistolam Petri Exken à me ex lingua Belgicā in latinam translatam.

C A P U T XV.

*Describitur tortura, & revocatio extor-
forum mendaciorum Petri Exken Xantis
facta.*

Incipit igitur Petrus Exken defensionem suam hisce circumstantiis. Quartā Martii Anno 1615. captus fui in Udem in Monasterio Canonicorum Regularium S. Augustini, & raptus in turrim quandam nominatam *Sluyters Toorn*, ab hoc loco deductus à quibusdam militibus Gochiam sedem mihi posuerunt in ferrea ista furibus præparata cavea; sextā Martii circa horam octavam ad militare Tribunal deducor. Inprimis interrogant de Pasquillis & eorumdem fabricatore, quibus Exken respondet, se de nullis pasquillis quidquam scire. Ponuntur ergo ob oculos quædam cantilenæ, rogantes: num mihi de iisdem constaret; dixi, quin imo. Interrogant, quæ sunt ergo? dixi, cantilenæ; proponunt ergo, quænam cantilenas inter & pasquillos est differentia? cui ego respondeo: cantilenas cantari, & pasquillos legi tantummodo posse. Instant ulterius, an nihil absurdum in Principem composuerim, ad quod negativè respondi, neque unquam audivi ab homine quodam aliquid inhonesti in Principem nostrum compositum fuisse. Respondent alii, de his te convince-

vincemus, petebam id mihi demonstrari, defensio-
némque meam ulterius omni meliori modo prose-
quebar. Interrogabant igitur: quando Bruxellis huc
veniebas, nonne in Monasterio Gaesdonck fuisti?
id quod affirmavi, dixique hæc illis formalia: Prior
dicebat mihi, ex animo mihi charus es, sed ne forte
in his turbulentis, & periculosis temporibus Mona-
sterium nostrum vestri causa damnnum patiatur; rogo
ut tibi de alio hospitio provideas. Præclara proximi
charitas, præsertim animi religiosi. Inquirunt ulte-
rius, an & ibidem fuerint Cives Gochenses; ego
paulisper memoriam recolligens dicebam, ibidem
fuisse duos laniones; quærunt, qualia cum illis verba
fecisti; Respondeo, hæc mihi exciderunt, nisi quod
adhuc recorder an socius itineris Gochiam versus
esse vellem? An omnia verba quo ad originale suum
taliter fuerint, non observavi. Rursum ad calum-
nias, interrogant me, tales an claves mecum contu-
lerim, quibus portas Gochenses aperire valeam:
dicebam minimè, neque de clavibus quibusdam scio;
sed hæc addebam, me à Marchione, & Serenissimo
Principe Neoburgico defensum fuisse, & Innocen-
tem repertum eâ de causa, quapropter Gochiam, &
natale solum relinquere coactus fui: replicabant
alii; testes dictorum tuorum curabimus vocari,
respondet Exken, tales mihi præsenti testes afferte.
Introducuntur ergo duo *Hans den Bleesslechter*, en
Pourvel Hackworft, quinquo viri supra modum cor-
rupti, & infimæ plebis. Verùm quid hic cogitandum?
Susanna innocens duos falsos testes accusatores ha-
buit, Dominus noster Jesus Christus duorum falso-
rum testium calumniam sensit; quid mirum; si in
depravato isto sæculo tales invenirentur, qui nullam

Conscientiam nisi in acquirendis Innocentum bonis circumferebant, foris sepulchra dealbata, extrinsecus autem putredine pleni. Hic postremus vocatur Hackworst, forsan ex innoxio sanguine, & carne Catholicorum sibi farcimina præparare mentis fuit.

C A P U T XVI.

De ulteriore procedura contra præfatum Petrum Exken.

Affirmant, in primis tu supplicam muneribus additis Bruxellas deportasti Marchioni Spinolæ, similiter & scire avebant, qualis conspiratio in tapeto(ut ita dicam) foret. Respondet Exken, de his praxibus nihil mihi meâ viâ constitut, priusquam de captivitate civium intellexerim. Affirmat tribunal, quod certi sint, quod ego conscientius sum, addentes; quâ postremâ vice Xantis fuisti? respondet Exken, transiit fermè medius annus, querunt insuper; quod tibi verborum commercium fuit cum Presbitero Gerhardo; an non intenderet spatio semestrio Gochiae comparere. Respondet Exken, comparebit; sed quo casu ignotum mihi est. Addunt, quo tempore fuisti apud Gubernatorem Gelriæ de Verdugo? Ad quod reponet, eundem me totâ meâ vitâ non vidisse. Post hæc revertuntur ad cantilenam sicut ipsi dicebat Pasquillum sapientem, & in defamationem Serenissimi Principis compositam, & in medium producunt falsarium istum Textorem, qui me flagitiæ istius convincere voluit. Interrogabam eum: quo fundamento hoc scis? Respondet Textor: audivi te similia loquentem. Quæro ego; ubinam vel quo in loco? Respondet Textor, in diversorio. Interrogo; quæ-

quænam communitas ibidem congregata fuerit : dicebat se hæc nescire , sed perfistebat se similia à me audiisse , quærebam , qualia ergo sunt contenta ? Nescio dicebat ; quia nec legere,nec scribere stompax ille poterat. His dictis Textor obmutescit. Mox verbum suscipit quidam è tribunali dicens : tu optimum inquisitorem ageres,nimis multum interrogas. Si Textorem taliter interrogassent , citius ad lucem veritas pervenisset. Attamen malitia perseverat. Textor dicit se mortem subire velle , si ea dicta , & allegata veritati non inniterentur , præsertim quoad suppli- cam consignatam. Quid igitur rursus ? Ah ! rursus evocatur Andreas Carnifex Clivensis , mandatum ei datur ut instrumenta torturæ paret , & ad manum habeat ; qui me festinus à tergo arripit , atque in sca- lam extendit , mox à terrâ elevatus pendeo taliter , ut humeri , & brachia compagibus suis soluta fue- rint , hoc nondum sufficiebat , addunt instrumentum torculare in sinistrâ tibiâ , & quidem tali vi , ut sanguis copiosus efflueret. Hæc poena erat intolerabilis , sed cùm viderent hanc torturam ad exprimenda falsa mendacia non sufficere , minantur graviora supplicia. Dicentes : si fateri nolis , sooyt gy op een houten Peerdt ryden , dat daer gereet staet , quod tormentum cæteris ne quidem fuit comparandum , & id ipsum , quod scire intendebant , erat de Principe , de supplicâ , in summâ de omni factâ pravitate , quibus objectionibus ego respondi , velle me juramentum omnium maximum præstare , si tale quid mihi imponi queat ; verum indurata ista , & adamantina pe- cتورa non poterant emolliri. Ergo ad ligneum istum equum condemnor in superficie , & ab utrâque par- te acutum. Igitur inducio tenus exutus imponor isti
equo,

equo , & ab utroque pede affligor pondere ferme centum librarum , quæ pondera Carnifex elevans , & ea summâ violentiâ dimittens intolerabilem mihi pœnam accersierat, onera hæc erant ab utraque parte pedis taliter constituta , ut vix sine divino auxilio corporalis sanitas conservari posset. His accidentibus assistit sceleratus Textor, cui Exken respondet : afferte mihi unicum textum vel rythmum cantilenæ à me compositæ ; si deprehendere possitis, quod in Corpus & fortunam Serenissimi nostri injurius aut infidelis unquam fuerim. Verùm sanguinolenti isti , & Catholicorum bonorum proci , & appetitores nil desiderabant , quām sanguinis effusionem , & agrorum , & villarum fraudulentam possessionem.

Interim cantilenæ & Pasquillo valedicunt , tantum examinantes cujus consilio tractatus iste factus fuerit, de quo tractatu vel conspiratione meâ vitâ mihi nihil constiterat. Tribunal ergomilitare videns se hâc viâ nihil proficere majus tormentum minatur, addentes: taliter te torquebimus usque dum falsitatem quamvis violentiâ extortam fatearis. Respondet Exken : potestas vobis in corpus meum , non autem in animam. Plura visitemus. Dicunt igitur prænobiles Confessus istius Justitiarii : te aliter excipiems, hæc tormenta tibi non sufficiunt , talia tibi infligemus , quibus priora vix comparari queant , procedamus igitur ad immanem hujus rei Epilogum : an homo Christianus tam atram bilem habere potuerit, ut ne ullus Christianæ misericordiæ fomes in tam perduelli anima permanserit.

Nova ergo media excogitantur , & quidem talia, ut honestus animus abhorre talia videatur ; verùm veritatem edicere cur erubescerem. Venitur ad collare

lare ferreum iisdem cuspidibus & clavis refertum, huic misero Exken adducunt, & collum ejusdem tam honesto aureo vellere cingunt: interim manus post terga ligantur, funes insuper per ferreum istum Collate inducentes, & in summum extrahentes retrorsum in semipatibulo suspenditur taliter Cervice cinctus, protestatur de injuriâ tam coram Domino Deo, quam coram hominibus. Invidi isti reformati desuper ridebant, & honesto cælibi tanta patienti extorquere volebant, quod ne cor cogitaverat. Pendet interea absque omni humano solatio fermè tex horis vix cum extremitate pedum terram attingens, & intolerabilem torturam sustinens. Interrogant num fateri velim, nec ne: at quid fatebor? reponebam, de quo mihi nihil constat; optarem sanè, ut Dominus Deus signum in cœlis daret, & taliter innocentiam meam manifestaret; Pergit ulterius Petrus Exken his verbis; si me possitis convincere de propositionibus mihi exhibitis, Dominum Deum in testem voco, quia innocentiam succumbere non permittet, sicut & postea luculenter apparuit, addens hæc formalia, malle se absurdissimam mortem subire, quam falsum testimoniū præstare.

C A P U T XVII.

Petrus Exken ad mortem usque torquetur.

Pergunt ulterius sinceram miseri constantiam in auditis tormentis tentare. Respondet Exken, optarem, ut Dominus Deus terram aperiret, & me vivum absorbet, si unquam exhibita mihi mēdacia ullo veritatis fundamento nitantur; addens desuper

per taliter se jurare nolle pro totius mundi divitiis. Verum feroce*s* hi tyranni talia flocci pende*b*ant continuo inquirentes : ex tuâ confessione crima*n*a hæc scire volumus. Rogat Exken vi tormentorum ad desperationem redactus carnificem, ut vel caput amputet, vel cervicem laqueo cingat, ut tandem hujus miseriæ coram Deo, & proximo inauditæ finem con sequeretur. Sed quid sit? Respondent isti velut in Barbariâ nati homines : taliter totâ nocte pende*b*is, ni fateri velis. Quæ minæ talem terrorem docto*m* isti viro, & semivivo Cælibi incusserunt, ut talia fateri, & fingere coactus sit, quæ nunquam in cor honesti civis descenderant. Clamat ergo : ah dissolvite, dissolvite me, omnia mihi nota vobis revelabo. Dicit igitur supplicam Marchioni Spinolæ destinatam Ruremundæ accepi in diversorio proximo Carthusiæ, ubi & cum latore proditore isto Mathiâ aliquot amphoras cerevisiæ biberat, quamvis suâ vitâ Ruremundam non vidisset. Dum ergo Secretarius tribunalis militaris prothocollum formare incipit, ait Gubernator : *Ghy en behoeft sulckx niet te scriyven, want ick meet voor seker, dat het geloogen is;* Deinde jubet denuo carnifici, ut innocentem altius in Collari isto ferreo suspendat addens : vir quidam plateam Molarem incolens hanc supplicam tibi tradidit. Terrore tormentorum percussus Exken respondet : Mathias Mom hanc mihi attulit bibentes in bonum successum aliquot amphoras. Hæc isti confessui arridebant. Interrogant ulterius : quodnam fuit contentum literarum & quæ addita munera? Respondet Exken, de his negotiis mihi nihil constat, nisi quod audierim quinque cives eandem supplicam subsignasse. Rapitur mox jussu Gubernatoris rursus miser ad ferream istam

istam torquem , & altius suspenditur his additis : plures subscripterunt. Taliter pendenti nomina omnium captivorum præleguntur, vi torturæ omnes ei propositos articulos affirmat ; præterquam quod Adm. Rdum Patrem Priorem in Gaesdonck , & Patrem Henricum , nec non Hesenbergh ab hac conspiratione immunes pronuntiet. Hæc Secretarius Prothocollo inserit. Pergit ulterius Exken , Bruxellas veniens per Amplissimum Doctorem Melty vocatum eandem supplicam Illustrissimo Marchioni tradidi , & ex ejusdem servis intellexi Civibus Gochensibus per quendam Petrum nuntium Clivensem gratiosè responsum fuisse ; verùm se nescire ad cuius manus hæ literæ pervenerant. Ad robur quoddam , & confirmationem hisce extortis mendaciis addendam prosequitur sermonem suum Exken dicens : conjugem præmemorati Marchionis è vivis ereptam esse. Hanc mortem , & ingressum mariti in quâdam Abbatia veritati sciebant congruere, quapropter reliqua confessa facilè admittebant , jam de adeptâ victoriâ sibi gratulantes. Addebat Exken Patrem Suppriorem in Gaesdonck à se interrogatum , num omnia benè constituta forent : dixit : ita. His per torturam honesto isti cælibi effractis calumniis è collari dimittitur , & per Secretarium confessio facta prothocollo inscribitur.

C A P U T X V I I I .

Miserabilis renovata tortura Petri Exken.

His peractis Petrus Exken rursum ex ferreo isto collari dimittitur , & ad focum ibidem accusa deducitur, quo in loco miles quidam eidem quasi par-

parvulo puero cibum ori admoveat ex defectu, quod propriis manibus uti non posset; post haec rursum ferream furibus destinatam caveam ascendere jubetur. Posterā die revertuntur ad priora, & criminali isti Magistratui sūsistit. Petrus Exken comparens flexis genibus præsentes officiales orat, ut vitam tam miseram sibi abrumpant, & calamitatum finem faciant addens: per vim, & torturam haec pristinā die mentiri coactus fui; nolo ut mei causā tot honesti cives improbam mortem patientur, quia tota substantia rei à me dicta falsitati obnoxia est; malo mori, quam torqueri. In æternum enim similia à me allegata vera non invenietis: ulterius dixit, Reverendum Dominum Supprietum Henricum tum temporis non in Monasterio Gaesdonck, verum Noveſii in Capitulo fuisse. His auditis denuo proceditur ad torturam, & ad ferreum istud collare; verum quia ex prioris diei tormento collum valde intumuerat, summâ violentiâ cervicem torculari isti includunt. Taliter constrictus duabus fermè horis pendet poenâ intolerabili angustiatus, exclamat Exken coram Domino Deo conscientia mea patitur, absit à me, ut proximum meum falsa confessione morti violentæ consecrem, in æternum casus mihi exhibiti non probabuntur: veruntamen nulla misericordiæ ſpes apud indurata ista pectora reperiebatur. Manet ergo pendens, donec tandem solutionem imploret dicens, se ante hac factæ, falsæ quamvis confessioni inhærere velle. Appropinquat igitur trabali gressu scriptor confessionem manu tenens, & Petrus Exken adhuc in ferreo isto collari constrictus propria manu hanc subſignare contra voluntatem cogitur. Sequenti orta luce de prædictis, & pluribus examinatur desuper, officium quoddam apud

apud Serenissimum nostrum offerentes , dummodo
verbis suis stare vellet. Dixit Exken rotundè non, gra-
tia Principis mihi grata est ; sed non sunt facienda
mala ut inde eveniant bona : Charitas proximi, &
concivium meorum , sicut & conscientia mea me
obligat, ne talibus honestis familiis ullam infidelita-
tis maculam , multò minus infamem mortem infli-
gam. Denuo intruditur ferreo isti collari, & de novo
suspensus extrahitur. Sustinet tormentum fermè per
ses-qui horam , clamat : solvite me , prædicta à me
fateor. Liberatus tribunali amplius non sistitur. Un-
decimâ Martii iterum comparere cogitur coram
Gubernatore Holtkracht, qui ait : in omnibus, quæ
fassus fuisti, veritatem inveni. Respondet Exken : per
inhumana vestra tormenta falsitatem mihi expressi-
stis. Tandem vigesimâ primâ Martii divinâ favente
clementiâ Petrus Exken à forte milite adjutus manus
persecutorum suorum evasit. Hæc sunt formalia re-
vocationis ad mortem usque torti Petri Exken , quæ
facta fuit Xantis vigesimâ septimâ Martii Anno 1615.
Cujus anima sine dubio purgata Domino Deo accepta
fuerit.

C A P U T X I X.

*Lambertus Charles nihil proficiens Texto-
rem Clivos dicit, & Fiscalem Hagâ citat.*

VIdeamus plura : Gubernator nullum favorabi-
lem successum videns perditum istum Texto-
rem secum Clivos dicit. Petrus Exken interim Apo-
logiam suam, & rerum circumstantias , & miserabi-
lem torturam toti mundo manifestat, & ex civitate
Xantensi scribit , & se purgat. Hisce non contentus

Holtkracht , epistolas aliquas in medium producit compositas à Petro Exken ; verumtamen regimen , & confessus bellici tribunalis fraudem , & fictas accusationes deprehendentes unanimi voto dicunt : torqueatur & Textor horum civium accusator . Proficiuntur Clivos decimâ Martii Lambertus Charles comitem , & conspirationis administrum secum trahens : ibidem ergo inventis , & è domiciliis raptis omnibus documentis , & literis Textori nummos donat , qui juxta consuetudinem talium sociorum tempus suum perdit in otio & lusu chartarum , nec non tessararum sedens omni tempore in diversorio , & cum servis Dominorum confabulans . Probatæ monetæ hic testis erat . Interim dum cives captivi detinerentur , Textor iste lautam mensam sibi ordinabat , nec quidquam sibi deficere permittebat . Insidet Castellum nigro signaculo notatus *swarte Peter* omnis generis chartas perscrutans . Ingreditur inter tales inquisiciones Burghravius castri Henricus Huttingh , mox Hypocaustum intrat , & Ceporinum cum Gubernatore , & reliquis conjuratis congregatos reperit , orditur Sermonem suum Burghravius : Cives nostri captivi innocentes sunt . Statim erecto supercilio verbum assumit Ceporinus his additis circumstantiis : *Wy finden in de Brieffen het vergift , daer men Ihr Churvoorstlycke Doornluchtigheyt met ombrengens sou.* Venenum tale discutiemus . Interrogat castri Administrator : num hæc materia cuidam mortem causare possit . Dicit Ceporinus : fatale est . Ego hæc scribens te invidum Ceporinum rogabo : ubinam in aliquo medicinæ Doctoris libro tale quid legisti ? quamvis sciam maribus fluxum talem quidem noxiūm , sed non venenosum esse ; pudeat ergo te , quod

tu fœmineum sexum tali maculâ coinquinare ausus fuisti; veruntamen sicut ex quotidiana experientia videmus ex lympido fonte aquam turbidam non hauriri, & sicut continuus rerum civilium progressus docet ex arbore mala non oriri fructus bonos, similiter sicut Poëta Horatius canit;

Nec imbellem feroceis progenerant aquila columbam,
Ideo de pelle tua, & crinibus te judico, quia arbor mala fuisti, succisus es ab hominum memoria, & stirps tua, quia puteum & foveam aliis Catholicis præparasti, in eundem veritate detectâ incidisti; fontem bonorum reddituum Catholicî Pastoratûs habere voluisti, postea supplicasti Comiti de Schuyllemborgh, ut tibi, & tuis panis annona superefflet. Videute nunc Benevoli Lectores, an credibile sit talia mendacia in hisce terris peracta fuisse.

C A P U T X X.

Petronella Exken Gelriam petit, Gubernatorem, & Magistratum pro Testimonia rogat.

Captivitati interea inhærebat Goswynus Exken Chujus Tragœdiæ exitum summa cum animi resignatione anhelans. Lambertus Charles videns tribunal militare fraudem quasi manibus posse palpare & advertere, tantum proprium interesse sub talibus rebus versari cognovit, & emolumentum suum quæsivit. Advenit post non longam moram vigesimâ secundâ Martii Fiscalis confœderati Belgii, qui Hagâ Comitis accersitus instrumentum fatale ad enormem istam falsariorum declarationem aperiebat. Invisit in primis Fiscalis Gubernatorem Gochensem Holt-

kracht, & Ceporinum adhuc in armis sive per vim
ablatorum scriptorum occupatum invenit. Adventu
Fiscalis cognito Dominus Consul Exken eundem ro-
gat his verbis, sed lingua Belgica : cuius coloris
Gubernator de Verdugo capillos habet ; estne senex,
vel juventuti proximus , coloris albicantis vel nigri ,
longæ , an brevis staturæ , crassi sive macilenti
cor-
poris, & in qua parte domus cubile hoc situm suum
habet, in quo Elbertus Voeft Dominum de Verdugo
tractavit ? Hisce propositionibus rursum interponit
Ceporinus verbum suscipiens , & addens : talem de-
monstrationem vobis ob oculos ponam , ut credere
debeat , ea quæ ego Dominis hic congregatis alle-
gavi. Ulterius producit sermonem suum Exken, se
Textorem nequaquam vidisse nisi ante quatuordecim
dies, quo tempore in ædibus Domini Consulis fuerat,
eundem interrogans , num quidpiam ad servitium
Catholicæ Ecclesiæ Bonnam sit destinandum , quia
ibidem habebat nepotem in servitio Serenissimi
Archi-Episcopi constitutum , quod allegatum tamen
falsum erat, nihil aliud Textor ille quærebat , quam
innocentes decipere. His dictis Textori bonum , &
prosperum iter precatur hæc addens : Ecclesia nostra
necdum in aliquo discrimine versatur, vade vias tuas
in pace. Prosequitur sermonem suum Exken verbis
Clivicis : Adverto jam tum castellum hoc Bonnam, &
vos congregatos Officiales militares & Ceporinum
personam Electoris repræsentare debuisse. Aspicit al-
ter alterum semiperplexi Holtkracht , & Ceporinus ;
verum paulo post ridet Gubernator , & ait : *Hoe well
kan hy dat raeden.* Videtis modo aperte omnia facta
mendacia iidem Gubernatori satis constitisse. Lucem
tandem dedit veræ Batavorum generationi, nimirum
reli-

reliquis Officialibus, Dominus noster, qui hæc inqui-
namenta abhorrentes uxoribus captivorum partim
per se metiplos, sive per substitutos depravatam cau-
sam aperiunt commiseratione tacti.

C A P U T X X I .

*Gubernator Lambertus Charles Gochia
Clivos secum dicit Textorem; Fiscalem
Hagâ Comitis citat.*

HUJUS ad cives Gochenses capitatis contenta quæ-
ris Benevole Lector: imperterrita animo vobis
notum faciam, ut aures habentes audiatis, & ocu-
los habentes videatis, ex quibus circumstantiis clarè
deducere poterint, nihil istic proditoribus taliter
in optatis fuisse, quam in honestâ morte senibus
talibus mortem infamem intulisse, ut bonorum
catholicorum, si non haeredes, saltem participes
fierent, & quod aliis decrescebat, eorundem Podag-
rosæ, si non magis chyragrosæ familiæ superadde-
retur. Quoniam sicut & in celeritate pedum con-
stat fuga, & Podagræ fugam arripere nequit. Atta-
men Prædicantes hanc statu conditionem tam bellè
observabant, ut si à longè videant appropinquantem
quendam Lanionem, Pistorem, Sutorem &c. pedem
retrahant, & venienti Hospiti nudam scalam spectan-
dam relinquant. Quid facit Prædicans? Chyragri
detentus dicit: Amice bone, uxor mea foris est, cra-
stina die revertere. Verum de his nugis satis. Qui
bonus senex confrontatus cum perduelli isto Textore
eundem perjurii convictus, adjungens, & militari
regimini replicans (torqueatur & Textor, aut Clivi-
cum Judicium appello.) Interim Mariti tristium uxo-
rum, atris carceribus & ferreis furum caveis inclusi-

detinebantur. Ceporinus interim cum suis epulatur quotidie splendide in castello, & chartas, documenta, atque literas per modum vulpis perscrutabatur, & adaperiebat quid Justitia, literas signatas & de longinquō venientes venabatur, quod Domini Scriptores in hisce terris primūm diligenti calamo collegērunt, hoc tu cum majoribus tuis, nimirum innatum Belgicæ Nationi animi candorem fœdè exemplo deturpasti. His ita accidentibus ingreditur congregationem Henricus Huttingh, ubinam reperit sedentes Gubernatorem, Ceporinum & reliquos, quibus Huttingh dicit, hæc quæ proposita de Civibus Gochenibus non puto esse vera. Arripit mox arma Ceporinus & inquit: *Sy hebben gewyslyck Schuldt, want wy vinden in haer Briefen van het vergift, daer men Ihr Churfürstliche Durchleucht met ombrengen sou.* Suscipit verbum Burgravius, & venenum sciscitatur. Respondet Ceporinus: fluxus iste menstruus non est venenosus, attamen ad mortem affligens, & paulatim corpus absumens, & simile venenum in literis istis asserebant reperiri. Hæc infra- scripta transmissa fuerunt ab Eximio D. Consiliario Voest Patri suo Gochiam, in specie hæc formalia. *Er sollte met die Muder und Swageren suaviter spreken,* loco ergo Swageren ponunt Swagerin. Quinimo depravati isti proximorum proditores rem eò deduxerant, ut si Serenissimus Neo-Dux noster Brandenburgensis aliquem veritatis investigandæ nodum subesse causæ tam atroci non vidisset, certè immunes nisi absque singulari misericordia & clementia vix evasissent. Quoniam isti susurrones, quod in commodum Catholicorum cedebat, sub ungue retinebant; de quo verò vel minima syllaba favori, &

con-

conceptibus fictis arridens ingressum apud Serenissimum inveniebat. Literæ satis bonaæ & honestæ erant compositæ; verūm quia dulcisugæ Apes ex floribus mel, econtra vénenosæ araneæ toxicum suum sugunt; sic & tu Ceporine fecisti, florilegium bonum habuisti, sed venenum placuit plus quam favum; vade ergo cum felle tuo, nos mel retinebimus.

C A P U T VII.

Belgici Officiales uxores pro salute maritorum monent, uxores Gelriam proficiscuntur pro levando à Magistratu attestato.

A Cta jam prænarrata nihil involvebant, quam futuram Innocentium perniciem; quia inimici personam Judicis repræsentabant, quod satis diluculo perspicientes quidam justiciæ amantes Officiales uxores in secreto monent, ut sibi de bono consilio provideant, nihil certius esse, quam cervicibus maritorum insidias strui, addentes: licet nobis ex omnibus satis Innocentia illorum manifesta appareat, & nullus nostrum sit, qui de aliquo crimine quempiam Maritorum uestrorum insimulare possit; attamen attendite, & cavete in tempore adhuc opportuno. Inter alios quidam reformatæ religionis Scabinius interrogat Scriptorem Prothocolli Gerardum Brouwer: quid videtur tibi de his negotiis, apparente quædam veritatis umbra? respondet Scriba: Wat sou daer aen zyn, den Schelm leuget all wat hy seydt, hoc eleganti testimonio spurcissimum istum Textorem indigitans. Inviserat quoque hujus urbis Consiliarius quidam negotiorum gratiâ Hagam Comitis cognomine Petrus Janssen de Bossche, hic à quo-

quodam Amplissimo Generalium Statuum Ordine interrogatur, num quidpiam veritatis rei huic, sive conspirationi fictæ inesset. Respondet Petrus : non credo esse verum. Ait alter : nec Præpotentes Domini Ordines fidem ullam habent. Sperabant Matronæ fore ut Judices pro officii sui dignitate & æquitate Innocentes omnes denuntiassent ; verū videntes causam de die in diem protrahi, maritosque captivos detineri, & se eorundem grato consortio excludi, unanimiter resolvunt pro fragilitate, & possibilitate fœminei sexus talia arma & media arripere, quibus (laus superis) Dominus Deus bonum faustumque exitum concedere dignatus est.

Tendunt igitur Gelriam Petronella Exken, & uxor Elberti Vœst, Prænobilem & Generosum Dominum Gubernatorem de Verdugo invisentes ; illatas injurias ei aperiunt, & consilium implorant, addentes : quā viā hæc grandia mendacia suppressimi possent, nimirum Excellentiam suam sub amictu rusticali Gochiæ fuisse. Gubernator summopere condolens ait : Intentio mihi fuit Gochiam tendendi, sed dum hæc audio, nollem propter omnia bona mea hoc contigisse, sed quomodo vos miseras juvabo, quia me de impartialitate accusabunt ; verū bono estote animo, cras senatum congregabo & cum eodem de super tractabo, sed dicite quā me die Gochiæ fuisse volunt. Petronella Exken ex aliquo Officiali acceperat Textorem dixisse 23. Jannuarii. Nota quòd hâc die Gubernator cum Generali Gelriæ Præceptore, Consulibus, quibusdam Civibus & Rusticis fuerat Westphaliæ apud Generosum Dominum Gubernatorem Ludovicum de Velasco. Hoc attestatum in bonam formam redigitur & à prædicto gubernatore,

Con-

Consulibus , & toto Senatu cum omni solennitate ad talem actum requisita subscribitur. Addit Gubernator particulariter juvans , sub splendore Nobilitatis suæ , sub veritate honesti viri , sub salute animæ , sub exclusione regni cælestis se totâ vitâ suâ Gochiæ non fuisse. Quis , obsecro , talia jurare vellet , si mali conscientiam circumferret.

C A P U T XXIII.

De confessione cuiusdam Fabricatoris perspiciliorum , qui notitiam falsarum istarum Literarum habebat.

HOC ergo attestato supra nominatae Matronæ instructæ Gochiam redeunt ibidem intelligentes effractionem carceris à Petro Exken factam , nec non abductionem quorundam captivorum Clivos : quare bono animo hilares cogitabant , si hæc materia à discretis Justitiæ administris examinetur , veritas eò citius patebit. Verùm hi susurrones modò aures Regiminis falsis mendaciis obturaverant , & oculos veneno suo fuscinaverant , ita ut Justitia hic denuo exulare cogeretur. Matronæ ulterius levant attestata & facilè impetrant à Magistris præfati Textoris , apud quos magis personam furis quam honesti servi excuerat. Dum jam promiscuè de Epistolâ Domino Exken traditâ inter vulgus garrire tur ; accidit , ut hoc audiret quidam perspiciliorum fabricator Religionis Anabaptisticæ , nomine Ryckwynus Gulghens : huic in mentem venit casus quidam cum Textore Gochiam Xantis tendente habitus. Nam quoniam proditores isti nomen Presbyteri Gerhardi Xantensis ignorabant , sic pro formâ Textori in mandatis derant.

derant, ut sub aliquâ specie Presbyterum adiret, & cautè observaret, num pitzetum prædicti Domini clepere posset ad literas subsignandas: verùm spe suâ frustratus Textor in diversorio valdè isti Anabaptistæ conqueritur literas has, de quibus multum dependebat, signatas non esse, insuper & Anabaptistæ ostendit, qui legens superscriptionem ait linguâ vernaculâ : *De myl het aen soo een deegelyck Man gescreven is, en daer hy van dan koompt veel van een Cruys houden, so sal ick u den Brief toemaeken.* Hæc acciderunt circa tempus vespertinum in diversorio Calcariae ridendi causâ. Quid fit? Anabaptista ille Textorem semi-fatum reputans rotundum ligneolum atripit & polit, eique Crucem Burgundicam inscalpit interjectis quatuor rotundæ formæ punctulis, & apprehensâ cerâ literas consignat. Textor receptis literis mox de gravi materiâ discurrere incipit, dicens : Hæc Epistola adhuc capita demetet, hæc confederatis Belgii Ordinibus tradetur, hæc quidem ad Consulem Exken directa est, sed nunquam ad manus ejus perveniet, & plura similia effutiebat; quæ omnia Anabaptista ille tanquam à stulto & ebrio dicta explodebat. Anabaptista domum rediens has nugas uxori suæ & affini, nec non Scersantio ejusque uxori narrat, qui idipsum postea attestârunt, quando Ryckwynus hic Anabaptista propter veram confessionem etiam carceris ærumnas subire cogebatur. Dum igitur rumor de hisce literis, quas indies adhuc in ædibus D. Consulis Exken inquirebant, per civitatem spargitur; Anabaptistis istis in memoriam revocatur casus cum Textore gestus, qui circumstantias vicinis suis tam diu narrabant, donec ad aures proditorum istorum perveniret. Hic famæ suæ & pelli,

pelli , nec non revelationi maledicti istius compacti
timere incipiebant : consulunt igitur , & ad hoc fun-
damentum evertendum eligitur secundus à Ceporino
talis sceleris Coriphæus : hic invisi filiam Goswyni
Exken maritatem Signifero Heisterman : lupus sub
agni verbis condolet in primis lamentabili verè statui
Domini Patris ; addens se audiisse , Anabaptistæ isti
quædam constare in solatium captivorum , si hunc
Clivos secum ducerent , & plura alia , omnia ficto
animo . Sed qualis hic socius fuerit , mox patebit.
Hic stante adhuc Magistratu ut plurimum adhuc Ca-
tholico bis ab Eodem remotus fuit , sed patrocinio
Goswyni Exken denuo restitutus hoc tempore Con-
sulatum gerebat . Magistratum ergo adeunt Filii
Consulis Exken cum cæteris Matronis , testimonium
probitatis & honestæ inter Cives reputationis requi-
runt , Regimini Clivensi exhibendum . Nunc ingra-
tum erga benefactorem cuculum observabitis ; omni-
bus his beneficiis , & civili charitate post tergora re-
jectis , rotundè denegare ausus fuit , insuper tribus
vel quatuor præsidariis militibus Civem talem one-
rans , quem advertebat vel minimum quid in defen-
sionem captivorum dixisse . Summā igitur violentiā
& inauditā procedendi viâ ora hominum cludebant ;
quâ de re duo parva Exempla subjiciam . Habitabat
Clivis Mercator quidam Antonius Streur reformatæ
Religionis ; hic in quodam consortio innocentes
defenderat , hoc audiens Lambertus Charles eun-
dem accersiri jubet , & graviter increpans minatur ,
nisi talibus sermonibus superfedeat scandalum afficien-
dum ; sibi conspirationem tam bellè constare , quam
Deum in cælis vivere : grave juramentum hominis !
cui veritas magis patebat . Secundum est : Petrus
Sommel

Sommel Civis Gochensis partem captivorum Civium defendendam susceperebat : audientes id ipsum susurrones acribus verbis per tertiam vel quartam manum admoneri curant, nî eandem fortē subire vellet, claustrum ori imponendum. Quænam hîc Dea triumphat : Justitia, an pertinacia, & invidia ? Attamen Matronæ Gochenses rei veritati confisa Anabaptistam perspiciliorum fabricatorem accedunt, rogant, si eidem placeret Clivos prò dicendâ veritate comitari. Respondet Anabaptista, libenter quod in me est, pro incolumitate Concivium meorum præstabo. Pergeunt ergo unanimiter Clivos, & Lambertum Charles accedunt ; vix cubile intrârant, interrogat Lambertus ante cujusdam verbum : *Waer is den Brillenmaecker ?* respondet : *hier ben ick myn Heer.* Excedens Gubernator, & in hæc verba prorumpit : *Dat men hem terftondt in een diefs gatt sette, men sal u leeren liegen.* Mox absque ullo defensionis verbo abducitur in teturum carcerem, ubi tam diu absque omni examine hæfit, donec per alia media generalis redemptio fieret. Reliqui hæc videntes Civis perplexi & muti hærebant ; poterant enim jam sufficienter colligere, veritatem nullo modo inquiri, sed tantummodo media investigari, ut sospiretur.

C A P U T XXIV.

Hac Anabaptistæ captivitate auditâ plurimi consternuntur, & quidam cautio- nem afferunt.

Comitatus fuerat Clivos ad requisitionem Matronarum magister quidam opificii textorii Civis Gochensis, cui Textor ille per aliquod tempus famulatus

latus fuerat ; sed non ut honestus servus, verūm furum negotia tractans. Hic magister testimonium infidelitatis præstare volens , ut vidit deplorandum Anabaptistæ istius casum & capturam , clanculò se subduxit , ne eandem sortem subire cogeretur. Hoc advertentes susurrones partim blanditiis , partim minis propriam manūs confessionem à magistro isto extorquent , ut odium & rixas deponat , & in pristinam gratiam revertantur. His obtentis Magistratum adeunt & Scabinale attestatum de probitate , bonâ fide , honestate &c. Textoris obtinent. His munitus Ceporinus Confessum intrat , inter cæteras garrulitates dicens : Videtis h̄ic bonum testimonium probi istius viri ; nunc fas est , ut hi , qui eundem furem dixerunt , manum ori imponant & palinodiam canant.

Consiliarii Ducalis Regiminis Clivensis Consiliorum Dominum Voest sub cautione decem mille florinorum relaxant eā sub conditione , ut in propriis ædibus sub tutelâ duorum militum custodiretur , idque cum consensu Lamberti Charles , qui apud præfatum Dominum per vim sibi hospitium occupaverat ; erat námque præclarissima fermè ædium Clivensem Ducali Aulæ contermina.

Domino Consuli Goswyno Exken erat filius Mercator dives in Hollandiâ , nec non multi alii de bonis mediis provisi Consanguinei , etiam filia quædam Daventriæ nupta. Hisce celerem rerum exitum & Justitiæ administrationem præstolantes Gochenses infortunium non significaverant ; verūm sicut isti rumorum excitatores non poterant virus suum his liminibus circumscribere , sic per prælam in portubus Belgicis omnia ista mendacia stupidæ plebi obtrudunt

dunt. Titulus erat talis , verūm lingua Belgicā : Vera descriptio abominabilis conspirationis inventæ , & conclusæ ab octodecim personis in Civitates Gochiam, Clivos, Embricam, & Resam &c. in hac descriptione inveniebantur omnium Pro - & Cognomina , & cuius qualitatis & functionis Personæ forent : Venerabilis Dominus antiquissimus Gochiæ Consul primas ferebat , & sic consequenter. Vix hæc ad aures & manus Consanguineorum Domini Consulis pervenerant ; mox iter Hagam Comitis arripiunt, de injuriâ & violentiâ protestaturi. Intrantes ergo Hagam intellexerunt Fiscalē Doctorem Theodorum Bircher modò ad hasce partes discessisse , & Præpotentes Ordines negotium hoc sibi cordi sumere ; verūm hisce non contenti pro vadimonio offerunt tot Imperialium millia , quot etiamnum desiderent : sed Deo sint laudes , qui non per nummos , sed per suam infinitam gratiam & misericordiam veritate detectâ eosdem gratuitò relaxavit.

C A P U T XXV.

*Quomodo captivi Gochiâ Clivos ducantur,
& quidnam ibidem contigerit.*

HAs circumstantias antequam vobis , Benevoli Lectores , ob oculos ponam , pedem paululum retrahemus. Eâdem nimirum nocte , quâ cælebs iste Petrus Exken mirabili quâdam fortunæ aleâ , seu potius miserantis Dei gratiâ carceris ærumnas evaserat , ex Hollandia Clivos appulit Fiscalis. Nocte sequenti Clivos vehuntur sex , nimirum Goswynus Exken, Theodorus ab Heucklum, Licentiatus Abels, Elbertus Voest , Leonardus Roeloffs , & Jacobus Hafsen-

Hasenbergh, bini & bini uno curru compacti habentes militem intermedium ; verum timentes hunc militem non sufficere, & fugam quamvis à captivis nullo modo affectatam, vel tumultum quendam suspicantes, comitatum tam equestrem quam pedestrem sociant : ducuntur ergo in Aulae Curiam cum curribus, ubi totâ die in seram usque noctem sine cibo, aut potu, aut ulla corporis refectione sub frigido aëre sedere compellebantur. Uxores secutæ omnem occasionem investigant alicui ex Consiliariis Aulicis loquendi, ut eidem injuriam Maritis illatam remonstrarent : sed, ô infortunium ! talem repe- riunt, qui Proditorum causam occultè fovebat, dicit semi-belgicè : hæc res Principem non concernit, sed Tribunal Militare ; si habetis Supplicam Principi, eandem tradam ; verum Maritos vestros ne quidem videre desidero. Si vidisses, ô perfictæ frontis socie ! non fures aut nebulones, sed honestos observasses. Matronæ igitur habitâ cum fidelibus Patriotis Clivensibus deliberatione aliam viam in-eunt, quia advertebant omnes fermè Ministros stare pro Ceporino & conjuratis, & ubicunque demum locus proferendarum querelarum apparebat, à parte contraria modò zizania in medio tritici esse seminata. Concludunt ergo Supplicam concipiendam, & ipsi- met Serenissimo Principi ad manus tradendam. In- terea audiunt captivos adhuc curribus inhærere, qui rumor istas miseras non leviter torquebat, inter cæteras Petronellam Exken, fororémque ejusdem, uxorem Jacobi Temmingh, quæ Daventriâ sinistro isto rumore excitata Clivos venerat. Hæ compa- tientes grandævo Patri suo Goswyno Exken utpote jam septuagesimum quintum ætatis annum agenti,

lag. nam

lagenam aquâ calidam pedibus applicandam parant, lectum cum requisitis omnibus adornant, haustum vini procurant, & nihil prætermittunt, quod in solatium boni istius viri servire posset. Hæc omnia importari curant domui Aulæ contiguæ, ut si occasio se præsentaret, mox eadem captivis aportari possent, quia jam tandem soluti curribus, cubiculis aulicis inclusi tenebantur, in quibus neque lumen neque focus reperiebatur. Anxiæ ergo Matronæ velut in excubiis hærebant præstolantes occasionem, num supra memorata commodè importari possent; Curiam Aulicam complentibus Subofficialibus verbum nocturnum sive patolam audituris tandem progreditur Major loci ut vulgo vocant. Hunc humanissimè Matronæ salutant, & summâ animi submissione & affectu rogant, ut liceat hæc pauca senio confecto Patri deferre. Quid hîc exspectas Lector, nonne gratuitum responsum? verùm quis magis saxa corda unquam vidit. Respondet Major idiomate non humore Belgico: Porta clausa est, habete patientiam. Instant Matronæ addentes & valdè permoventes ad misericordiam rationes, sed nihil proficitur. Replicat inhumanus ille: rursum patientia. Dicit Petronella: providebit Dominus; patientia prô dolor! nimium magna nobis necessaria est. Arripit mox dexteram Sororis suæ uxoris Temmingh hoc addito & per quam apto sacræ Scripturæ textu.

Tu Domine Deus, qui innocentem Danielem in speluncâ leonum constitutum pavisti, de tecto prævidisti, & contra omnia pericula incolumem conservasti; respice preces famulorum famularumque tuarum, ut quietam noctem capiant.

His plenâ, & firmâ fide & æstuanti devotis suspiriis
pectore

pectore prolati diversorum petunt ; vix limina domus attigerant , dum quispiam adeat nuntians praedicta inferri posse. Videlis credo jam tum firmam in Deum fidem effectu suo non caruisse. Post tres dies Consul Exken deducitur in turrim Cygnorum , vulgo *Swaenen Toorn* in quoddam cubiculum adjacentem cuidam Domui civicae , ubi coimoda colloquendi & invicem videndi dabatur occasio pedibus ferro cruciatim districtis , & à duobus militibus custoditur. Idipsum intelligens filia Petronella ex supra memorata domo Patrem invisit , de statu & valetudine rogat. Respondet Pater , se quatuor annorum spatio melius & securius non cubasse , se omnia Domino Deo , ejusque infallibili providentiae recommendare , & debono exitu minimè ambigere.

C A P U T XXVI.

Quomodo Uxores Serenissimo Neo-Principi Supplicam ad manus proprias tradant , & quid contigerit.

Postea post Supplicam confectam die sex capti vorum Uxores Castrum , sive Aulam ascendunt tempus exspectantes , quo Serenissimus se prandio sumendo accingeret , ut inter prætereundum Eidem Supplicam ad manus proprias exhiberent. Onus hoc in se suscepit filia Goswyni Exken uxor Jacobi Temmingh adstantibus reliquis : summâ igitur reverentiâ , quâ par est , eandem porrigit , pauca verba miscens. Serenissimus Elector acceptâ Supplicâ per longum ambitum gradiebatur , saepius respiciens , & oculos in Matronas conjiciens ; cum ergo ingresso cubili Serenissimus sedem ascendisset , mittit Cubicu-

larium ut post prandium reverterentur responsum accepturæ. Hæc sexui isti fragili arridebant, & concludunt etiam corpus proprium aliquo cibo refocillare, & domum abire ; verùm obstat Petronella Exken dicens : Magni Domini breve prandium sumunt, pro majori securitate exspectemus. Reliquis autem abeuntibus Petronella invenit quendam Electoris Domesticum, quem de longinquitate sive diuturnitate prandii summâ cum submissione interrogabat. Respondet prænominatus Dominus : si vobis boni consilii author esse velim, manete hîc. His auditis mox aliarum gressus insequitur, & revocat ; verùm volentes denuo Aulam descendere à militibus prætorianis lanceis & bombardis ab ingressu violenter prohibentur. Interrogat Petronella, cuius mandato talia attentare audeant. Dicunt : Principis. Replicat illa : hæc est manifesta falsitas ; nam Princeps nobis jussit, ut post prandium reverteremur. Respondet miles : perinde est, vestrî causâ nolumus captivitatem subire. His auditis retrocedere cogebantur, & ab isto tempore ne vel pedem Aulæ inferre audebant. Timebant isti, ne forte Princeps falsitatem detegeret, & consequenter formatus conceptus cum dedecore evanesceret. Matronæ ergo taliter à militibus deceptæ omni meliori modo sibi amicos comparant, quibus sua scripta & Supplicas recommendent. Verùm susurrones isti Neo-Principem in suas partes trahere conabantur ; sicut & omnem lapidem moverant, ut mendacia ista Fiscalis Clivense Territorium attigerat, cum mox à Lamberto Charles in lauto prandio in ædibus Consiliarii Voest excipitur, cui intererat Petrus Ceporinus cum duabus primariis

primariis hujus tragediæ instrumentis. Omnibus jam pro capiendis cibis & mensâ paratis ingrediuntur Matronæ Gochenses, Fiscalem humanissimè salutant, de prospero adventu gratulantur, & Justitiam implorant; addunt insuper: Si maritos nostros prævitatis convincere poteritis, secundùm leges puniantur; verùm id ipsum in æternum non probabitis. Respondeat Fiscalis: Contentæ estote, Justitia vobis administrabitur. His auditis abierunt. Circumstantes, inter quos Lambertus Charles, & Petrus Ceporinus ne vel verbum missitabant; verùm adeò rugosam & torvam frontem exhibebant, ut ex lineamentis vultûs liquidò pateret internus animi affectus. Ne verò Lambertus Charles ulterius alloquium à Matronis sustinere cogeretur, posterâ die domicilium mutat, & aulam eligit, & spargi curat se morbo articulari vel podagrâ detineri; verùm hîc indies susurriones isti cum Textore sua conventicula celebrabant, deliberantes, quidnam Textori ad interrogata respondendum foret. Consiliarii Regiminis Ducatus Clivensis Confessum Aulicum desuper interpellant, dicentes: Hæc negotia ad nos pertinent, quia Cliviæ subditi sunt. Respondeat Aula: Quid ad nos. Res istæ jam in manibus Gubernatoris versatæ fuerunt. Ecce quomodo Gubernator iste plurimos in suas partes traxerat.

C A P U T XXVII.

Minantur Matronis linguarum perforationem cudentibus cuspidibus.

IN summa, res èd devenerat, ut nullibi vel umbra solatii aut liberationis appareret; quare solo di-

vino auxilio confisæ Matronæ totum negotium Do-
mino Deo , ejusque protectioni commendabant ;
Amicos interim quærentes tales , qui adhuc boni &
impartiales putabantur ; Fiscalem tæpius in Hosptio
invisunt , & prout res se ex fundamento habebat,
remonstrabant , attestata desuper levata , nec non
retractationem Petri Exken Xantis factam adjun-
gentes , ita ut Fiscais sæpe auditus fuerit in hæc verba
~~et~~ uimpere , linguâ quamvis Belgicâ : Hæc accusatio
ita se non habet , sicut mihi imponitur , cæteroquin
istæ mulieres tam audacter & alacriter non compa-
rerent . Verùm hanc Fiscais mentem proditores sub-
vertere hisce verbis conabantur , dicentes : Maritos
multa facere absque præscitu uxorum , & Matronas
de importunitate loquendi accusant . Advolat quo-
que Clivos valetudinarius , & confessus senio Scabi-
nus Casparus ab Heucklum pater captivi Theodori ,
visurus , num quidpiam pro filio fructificare posset :
accedit quendam Consiliarium Aulicum modò in
proditorum partes raptum , & dum pro captivis
fundamentaliter perorat , hoc responsum capit : *De*
Wyver gaen soo klappen , en verergeren de Saeck ;
het waer goet , dat ghy se waerschowde , dat sy den
muyl hielen , want daer is geseyt , soo sy dat klappen
niet en laeten , soo sal men se gloyende priemen door
haere tongen booren. Tale solatium dabatur bono isti
seni , qui desuper non leviter perplexus filiæ suæ Theo-
doro nuptæ idipsum revelat , rogans : ut aliquo tempo-
re supersedeat , & concepto furori morem gerat . Ve-
rùm Petronella respondit : Pater dilectissime , hic latet
anguis in herba , hunc nodum libenter constrictum
tenerent , ut taliter nobis tacentibus Maritos nostros
velut innocentes Agnos ad lanienam & carnificinam

perducere possent : verùm vitâ comite , & viribus adhuc integris veritatem non silebo. Rapiant me in vincula , linguam perforent , corpusculum castigent , potestas eisdem est in membra , non in animam ; & tamen sicut Christus Dominus in sua passione dicit : non haberes potestatem in me ullam , nisi tibi datum esset desuper ; sic & mihi eveniet , majora supplicia mihi infligete non poterunt , quām ex permissione Dei , cui me & mea cum plena resignatione committo .

Quoniam bono modo non poterant Matronas sicut istum fabrum Anabaptistam in carcerem rapere aliam viam investigabant , nihil aliud quærentes quām taciturnitatem , quā per minas fortē obtentā clanculō personam suam agere , & ferali scenæ præfixum epilogum imponere possent . Verūm Matronæ his nihil territæ omnia possilia defensionis media constanter arripiunt : conducunt in primis duos Juris utriusque Doctores Regiminis Clivenfis Advocatos : verūm hi tam scrupulosi , & anxii erant , ut vix attestata & revocationem Petri Exken Supplicæ adjungere ausi fuerint , dicente seniore : se propter mille Imperiales dedecus carceris desuper sustinere nolle . Verūm Junior tandem Supplicam expediit ; talem terrorem hoc inhumano procedendi genere proditores isti animis honestis incusserant , ita , ut etiam quodam tempore quo Petronella Exken , & uxor Consiliarii Voest quandam Consiliarium Aulicum obviām habuerant , & eidem loqui desiderarent , Consiliarius ille metu secuturi mali silentium indixerit , & se quantocvus subtraxerit . Consueverat quoque quidam Capitaneus Gubernatori per quam notus s̄epe domi Domini Voest conversari , huic dum

uxor Voest immanem procedendi modum exprobrat & dicit , ex tota Civitate Cliveni neminem nisi suum maritum captum ; ait Capitaneus : Maritus vester adhuc ex minimis est. Interrogat uxor : quinam igitur sunt summi. Respondeat Capitaneus : ad quos lors nondum pervenit ; brevi sequentur ; hisce indigitans Nobilitatem , quam etiam huic tragœdie immiscere conabantur. Veruntamen homo proponit, Deus autem disponit.

C A P U T XXVIII.

Matronæ Excellentissimo Comiti de Swarzenburg Supplicam offerunt.

Habitâ jam longâ inter Advocatos deliberatione, & altercatione tandem Supplica completur, mouetur autem quæstio, cuinam tradenda sit ? dicit Petronella : quem vos vultis, & optimum judicatis. Ego id ipsum in me suscipiam. Concludunt tandem Comiti Swartzenburgico offerendam. Accedit ergo prænominatum Comitem Petronella cum tribus principibus Captivorum uxoribus , & imperatâ audientiâ tradunt humillimè precantes, quatenus officium boni Patroni agere dignaretur. Omnibus hoc modo exhibitis & constitutis ex fundamento innocentiam maritorum aperiunt, addentes nullam causam subesse, quam odium Catholicae Religionis , & in perpetuum & in fine hujus proceduræ alia ratio non invenietur. Dicit Comes , si se ita res habeat, nec ego securus sum , quia ejusdem professionis , & similiter mihi tractu temporis contingere posset. Respondeat Petronella : si taliter procedatur sicut cum Maritis nostris , Excellentia vestra iisdem fortunæ casibus obnoxia

noxia est ; verum hoc Deus avertat. His dictis totam Historiolam quamvis brevibus terminis exponit. Appromittit interim Excellentissimus Comes omne possibile humanum auxilium , & nullam occasionem se velle sinere elabi , in qua spes cujusdam fructus affulgeret : verum *Si defint vires, tamen est laudanda voluntas.* Comes iste depravato illo saeculo necdum ad tales statum emergerat , ut capitale quoddam negotium humeris suis imponere attentaret , sicut & plures alii Magnates ; nam eadem catastrophe in supra memoratum Dominum Comitem , quosdam Barones & Consiliarios fabricata fuerat. Quare & accidit , ut quae verbis quae scriptis parum aut nihil proficerent ; veruntamen Dominus inopinato providit , cui summa gratiarum actio in sempiterna saecula. Fluettatione ergo tam diu agitatâ concluditur , ut Examina fiant coram Consilio Aulico , & Fiscali , cui intererat socius ille , qui superius dixerat : *Hæc res non est nostri fori , nec Principis , sed Gubernatoris.* Hic inquam omnium in garriendo & blasphemando impudentissimum se exhibuit , qui etiam in praesentia venerabilis Exken ausus fuerit effutire : *Scio te tam reum esse , & de præfatis criminibus convinci posse , quam Sol meridianus jam de summo cælo suos radios vibret.* Dicit Exken , valde inhonestum est , velle in testes vocare elementa cæli , creaturas Dei , quæ mentiri nequeunt de rebus , quæ in æternum non verificabuntur ; & ulterius pergens , mendacia ejusdem refutat : erat enim supra modum falsis dictioriis infensus. Jam vides benebole Lector , an non omnes isti , apud quos in hoc usque Capitulum processus ventilatus fuerit , partialitatem suam toti mundo manifestarint. Verum villæ & agri arri-

debant & virentia prata oculos obcæabant, dulce in silvis avium modulamen aures obturarat, lauta piscium capture palatum infecerat, amœnitas hortorum cor à semita Justitiae averterat. Illi anserem deplumare volebant, sed ne vel cauda in prædam cessit.

C A P U T XXIX.

*Examen Consulis Exken coram Fiscali, &
Consilio aulico, ejusdémque cum Textore
confrontatio.*

Eadem puncta, quæ Gochiæ, etiam in hoc confes-
su Consuli proponuntur, quibus adhuc depravatus ille Textor addere ausus fuit, se vidisse valcu-
lum vini rubelli deferri in arcem Wissensem, quo Serenissimus veneno extinguendus foret. Hic rur-
sum idiomate latino narrat Consul Romanam Histo-
riam Varii. Sicut antea Gochiæ germanicè fecerat,
se discretioni prudentum Dominorum relinquere,
an tali extraneo Textori in his articulis fides haben-
da esset, quem non puderet tot Generosos Dominos;
Marchallum Horstium, Abbatissam Vallis Comitis,
& similes accusare, imò nemini ex optimis parcere.
quo, ad me ait: credere nequeo, & si mihi mors sub-
eunda sit, filii tamen mei, & filiæ nomen meum ut ho-
nestum retinebunt exemplo Thomæ Mori Eximii Angliæ Cancellarii, dum eidem pro fide Catholicâ oc-
cumbendum erat. His auditis Fiscalis inquit: Nun-
quid dixisti te mori malle, quām Exercitum Calvi-
nisticæ Religionis in vestrâ Ecclesiâ permittere. Re-
spondet Consul: imò verò. Hic consensu non à me,
sed à sublimiori potestate dependet, de quo nec Præ-
dicans, nec Gubernator (non obstante meâ sollicita-
tione)

tione) ullum mandatum exhibere poterunt; sed contrarium verum est, nam Princeps Nassoviæ Mauritius Generalis belgicarum Legionum præfectus expresse Gubernatori in mandatis dedit, ne se statui Ecclesiastico immisceret, sed Catholicis liberum, & tale ex-excitium permitteret, in quo eodem tempore deditio-nis repererat, & ut reversalia inter Serenissimos Prin-cipes conclusa ad amissum observarentur; quibus & ego pro tempore Consul existens manu adstipulari nomine communitatis debui. Cur ergo contrarium quid Juramento meo committerem? Si id ipsum per-mississem, reus infidelitatis dici possem. De reliquis verò, quæ mihi proponitis, totum mundum in testem voco, quia prorsus innocens sum. His auditis omnes obmutescunt, & manibus denuò ferro compactis ad pristinum cubile deducitur, donec divina Clem-en-tia à compedibus talibus devotum sibi, & fidelem famulum absolverit, & commissæ sibi in temporali-bus gregi restituerit. Consilium Aulicum tandem in-telligens Textorem istum omnis generis diversoria bachando, & heluando frequentare, & nihil ani-mi relaxandi gratiâ prætermittere, nec non indies in Castro cum Lambertô Charles, Ceporino, & affeclis lauta conventicula celebrare, fraudem quandam de-tegere incipit, quare & eundem carceris condemnat. Ut ex hac officinâ non ex promptuario Charles & Ce-porini merces suas jam in lucem proferre cogeretur. Hic folium brevi vertebatur. Susurrones autem isti non quiescebant neque dormiebant, quominus ne-gotium inceptum sive per vim seu fraudem stabili-rent; nam in primis Fiscali denuntiant quandam Lam-bertum Rogh Civem Huysensem maritatum filiæ Abels, quandam Burgravium Liberi Baronis de

Wissen. Huic addunt Abel Abels fratrem Joannis Abels adhuc cælibem, qui ambo tempore Gochensis Captivitatis negotiorum causâ extra patriam fuerant. Producitur adhuc in Theatrum Marcus Schinck, quem Lambertus Charles cum Petro Exken in invasione urbis eâdem violenter expulerant. Hos supradictos pro fugitivis proclamat, addentes: si sibi bene concii forent, reverterentur utique.

C A P U T XXX.

Dominus Advocatus, & Consiliarius Voest pari passu examinantur, & confrontantur.

Producitur in primis in Theatrum supplicatio exhibita Marchioni Spinolæ, in quâ Catholici quasi verò præfatum Dominum Marchionem additis muneribus pro quadam assistentia, & levamine in negotiis Ecclesiasticis implorent. Hanc dicunt Voest propriâ manu sub signasse. Replicat Voest: jam per duodecim annos Gochiæ non habitavi, quid absurdum magis, quam subscribere in favorem cujusdam loci, de quo nec damnum, nec emolumentum mihi accrescere potest? Cui quidam Consiliarius Aulicus: Evidem plures novimus Gochiæ non habitantes, qui tamen subscripterunt, has circumstantias nimis externas quoque sub signasse, nec ipse Textor unquam fassus fuerat, verùm Ceporinus, & Consortes die ac nocte præxibus talibus studebant, quibus Senatum Aulicum deciperent. Progrediuntur ulteriori ad litteras Gochiam missas, ex quibus venenum suum haurire conabantur. Verùm Dominus Voest fundamentali ratione demonstrat rixas quasdam inter patrem suum, & reliquos consanguineos ortas fuisse, qui-

quibus componendis has literas scripserat, verum
addit: vestrum non est verba mutilare, variare, aut
in depravatum sensum detorquere. Dicunt Consilia-
rii, cur non addidisti diem, quâ Epistola scripta fuit,
respondit Voest, habetis plus centum: respicite si vel
quatuor adsint cum aliquâ datâ. Gochia hinc tam
longo itinere non distat, ut semper opus sit diem no-
tare. Vides modò Benevole Lector, quomodo etiam
in minimâ umbrâ corpus querant, & qualiter cu-
niculos suos agant, ut infractam Catholici pectoris
arcem dejicient. Si vel quartâ parte Textoris con-
fessionem discutere voluissent, quâm citò veritas in
lucem prodiisset. His propositionibus à Domino
Voest taliter enodatis, prodit in medium Textor pal-
lidâ facie, & tam timido incessu oculos ferrifatuos
hinc & illinc detorquens, ita ut Dominus Voest Con-
silio diceret: obseruate modò, si hic sit homo sanæ
mentis. Incipit tandem se vidisse Dominum Voest
apud Gubernatorem de Verdugho in posteriori Cu-
biculo invicem colloquentes. Ad quæ allegata inter-
rogat Voest: à quâ parte domûs situm sit hoc cubile,
an à dextris, an à sinistris. Suscipit mox verbum qui-
dam Consiliarius inquiens: *Hoe kan hy dat soo weet-
ten, die daer vrembt in een Huys koomt.* Cui Textor
superaddit: *Ick ben daer niet bekent in Huys.* Dum
Voest plura interrogare nititur, Textor eidem dor-
sum obvertit. Voest apprehenso illius brachio eun-
dem circumducit, dicens: si honesto viro loqueris,
frontem & oculos exhibe, non tergum. Hic mox
quidam Consiliarius iracundiâ inflammatus arma
movet, dicens: *Men soll u well anders hebben, wat
hebt gy hem tho vragen, daer syn wie voor daer &c.*
Tum denuo in turrim relegatur, Textor verò apud
con-

confessum perseverat. Tum mox rumor per urbem spargitur: Dominus Voest deteriori Carceri mancipatus fuit, ut rudiori plebeculæ præsumptionem quandam veritatis affricarent. Huic turri inclusus permanxit usque ad diem Lunæ sequentem, & ad Textoris revocationem, quo tempore circa horam decimam vespertinam inde educitur, & Textor tribus militibus custoditur, eidem loco includitur usque in diem Jovis post meridiem, quo prædicans quidam nomine Absalon chartâ, calamo, & atramento instructus eundem invicit, & per duas horas colloquium miscet. Hinc Textor circa horam nonam vespertinam educitur, & torquetur, & horâ undecimâ rursum intruditur saepe, & lamentabili voce conquestus à militibus se pecuniâ & magnis promissionibus corruptum tales absurditates in præjudicium honestorum istorum Civium practicasse.

C A P U T XXXI.

*Examen Dominorum Licentiati Abels,
Theodori ab Heucklum, & Leonardii
Roeloffs describitur.*

Fiscalis igitur coram Tribunal Aulico Licentiatum Rutgerum Abels interrogat de Pasquillis, de supplicâ Marchioni Spinolæ, & Serenissimo Austriæ Archiduci exhibitâ, de juramento non revelandi, de sumptione Sanctissimæ Eucharistiaæ, & de pluribus circumstantiis inter captivos, ut dicebant, deliberatis & conclusis; scilicet quâ viâ civitatem, & arcem Gochensem Gubernatori de Verdughø tradere voluissent, nec non quo modo ex mandato Archiducis per Dominum de Wissen venenum Serenissimo Electori

Electori nostro propinandum foret. Et responderet Abels : in omnibus punctis mihi à vobis objectis prorsus innocens sum. Tum affirmat Textor, non in ædibus Elberti Voest, sed in Ecclesia in Choro S. Catharinæ Abels supplicam subsignavit. Quod dictorum Abels his verbis refutat : omnia quæ Textor dicit mera mendacia sunt ; nam totâ vitâ meâ Gouvernatorem Gelriæ non vidi , neque in nostra Ecclesia Chorus invenitur Beatæ Catharinæ facer. Textor dicit fuisse in eodem Choro, in quo Abels sedere consueverat. Cui Abels : sedes mihi plerumque est in Choro Beatissimæ Virginis. Tum quidam Consiliarius rursum insurgit dicens : frustra quæstio est de nomine Chori , dummodo quo ad locum convenienter ; quod Textor mox confirmat addens : Dat den Kuster dat selve Choor van buyten toegesloten had , alsoo dat naer verrichter Saeck den Licentiaet Abels omgeloopen was over dat hoogh Choor , daer den Sleutel van binnen in die Duer stack , ende de Duer geopent , en haer daer uytgelaten. Hæc sunt eadem Textoris formalia. Hic Abels animosè respondit : mittite quendam fidelem servum Gochiam , & inspectionem capiat aperti mendacii , Textor convictus erit, non est ibidem Claustrum nisi in summo Choro , quod extrinsecè & reseratur , & clauditur , aliqui Chori pessulis solummodo compinguntur. Cui Fiscalis : Mathias Mom tamen idipsum fassus fuit. Hisce peractis Textor emigrare jubetur. Rogat ulterius Abels , quamnam familiaritatem , & quodnam literarum commercium habuisset cum Consiliario Voest ratione hujus materiae. Respondet Abels : Affinis meus est , de reliquis ignoro ; verùm audivi à Reverendo Domino Cornelio Textorem Gochiæ coram Tribunalili-

militari deposuisse supplicam in pastorali æde signata
tam fuisse , nunc verò dicit in Choro Ecclesiæ : quo-
modo hæc cohærent? Si veritatem indagatis , jam
tum ad oculum falsitas patet. Venitur ad Dominum
Theodorum ab Heucklum , cui supra memorata
quoque objiciunt, quibus & Interrogator impuden-
ter hæc addere ausus fuit : *Bekent het vry , want
se Schoonvader heeft het al bekent.* Cui Theodorus
ab Heucklum respondet: non credo patrem meum
senem tam prudentem taliter mentis impotem esse,
ut fictas calumnias confiteri voluerit, sicut nec ego in-
æternum idipsum tam in proprium , quam in proximorum
Concivium præjudicium , & ruinam præsta-
bo: dies venient, quibus Dominus afflictionem no-
stram, & injurias illatas respiciet , & Justitiæ viam ,
quam semper ambulavimus toti mundo manifestabit.
His parumper trutinatis dicit quidam Consiliarius:
*Den Wever seyt jae , ende ghy seght neen , ende soe
moeten wy u als een goet Mann , als wy weeten , dat
gy syt gelooven.* His dictis ad custodiam reducitur.
Progreditur tertius Leonardus Roeloffs , sed quo-
niam hic Mercator erat , & ut plurimum è Civitate
Gochensi absens, sic Textor fermè nihil ei imponere
poterat. Quare pedibus ferro gravatis intruditur
denuo cubili cuidam , ubi nec mensa, nec sedes , nec
ignis, nec cibus. Nota quod pridie inclusus fuerat
cuidam turri dictæ *Mulenkamps Toorn*, in quam ma-
lefici , & ad rotam , vel patibulum condemnati hospi-
tati consueverant.

C A P U T XXXII.

*Novem adhuc Gochiae superstites captivi
Clivos ducuntur, & examinantur.*

TRigesimā Martii primo mane circa horam quartam eodem comitatu, quo reliqui Clivos abducuntur. Dum ergo curribus imponuntur, Ceporinus circumquaque discurrit per plateas, singulos curru perlustrat visurus, num etiam omnes adessent. Abeuntibus his verbis altâ voce prolati valedicit : *Vaert henen, maer gy sult niet all wederkoomen.* Clivos appulsi hinc inde sordidis carceribus intruduntur, omnes quoque coram Tribunalī Aulico in præsentia Fiscalis examinati, & cum Textore confrontati fuerunt, & singuli de iisdem rerum circumstantiis interrogantur, quia inter eosdem adhuc quidam reperiebantur, qui Examen Gochiae necdum subierant, inter quos erant semicatholici, qui ab initio sibi persuadebant, an forte alii rectæ fidei Catholicae tenacissimi Cives quidquam absque eorum præscitu scripsissent, sed veritate detectâ melius sapere cœperunt, & falsitatem quasi manibus palpare. Primus omnium producitur Mathias Mom sicut & Textor, qui mox affirmare audet Mathiam Mom supplicari Ruremundæ Marchioni Spinolæ exhibuisse. Nota nunquam id Textor ante hac dixerat, nisi modò confisus revelatione Petri Exken per inhumana tormenta violenter extortâ. Hisce opponit Mom : totâ vitâ meâ Ruremundam non vidi ; interrogate tibicinem apud me hospitantem, & servum meum, nec non omnes domesticos, an unicâ nocte extra proprios lares pernoctarim. His dictis exire jubetur. Pervenit ordo

ordo ad secundum, Joannem Verlingh, cui omnia
Gochiae objecta iterum ob oculos ponuntur; verum
fundamentaliter ratione haec refutat, quare torturam
minantur; veruntamen ad eandem non pervenerunt.
Camerā deinde educitur. Progreditur tertius, Joa-
nnes Abels, qui à Fiscalis de iisdem punctis insimula-
tur, hunc Textor omnem movens lapidem convin-
cere volebat de Supplicâ in æde pastorali signata;
verum replicat Abels: Tu mihi non probabis, quod
in æde pastorali fuerim, nisi adhuc in vitâ Pastoris,
qui tum temporis ad mortem usque decumbebat,
quem invisi. Tum dicebat Textor: obviâ te habui
in cœmiterio. His dictis immiscet se valde discreta
loquendo Fiscalis: Nemini prohibitum esse potest,
nec debet cœmiterium transire. Pergunt ulterius ad
juramentum præstitum de non violando secreto. Cui
propositioni Abels respondet: Nunquam vidi jura-
mentum præstari, multò minùs ipse feci. Aderat
quidam, qui diversis vicibus Textorem respiciens,
& digitos elevans querit: *Hebbense niet soo gedaen.*
Verum plompinus, & stompax ille Textor ne qui-
dem tantum scientiæ habebat, ut hoc intelligere
posset; sed perplexâ fronte solummodo capite an-
nuit, ita Domine, stans velut lignea cuiusdam Mopsuli
statua. Taliter & Abels prius suum hospitium subit.
Evocatur quartus, Conradus Keyfers, quem de pas-
quillis in Principem fabricatis interrogant. Dicit
Keyler se nunquam similia vidisse. Pergunt ulterius:
Quidnam ergo constaret de proditione. Respondebat
Keyler, se nunquam quidpiam audiisse, nisi ante
quatuor fermè septimanias, quando centuria Capi-
tanei Vighs Thielam abierat, & paulò post revertieba-
tur, tum rumor spargebatur proditionem quandam
sub

sub cineribus latere, ideoque centuria hæc reversa
fuit. Interrogant ulterius, quatenam scientiam ha-
beret de convivio in Nieuwenclooster gerendo, ad
quod invitatus fuerat Gubernator Gochiæ cum uxo-
re suâ, ut interim circa tale tempus præsidium Gel-
driense Gochiam occuparet. Quibus Keyser dicit se
suâ vitâ de simili materiâ nequidem audiisse. Intrat
eodem momento Textor, inquiens Conradum
Keyser quoque subscriptissime: cui Keyser, vidistine?
respondebat Textor: non. Pergit Keyser: quomodo
ergo scis? superaddit Fiscalis: quâ ratione hæc tibi
constant, cùm non videris? pergit & Keyser: cùm
dicas te scire, & non videris, sic nomina mihi virum
fide dignum visionis hujus testem. Respondet Textor:
quattuor aut quinque idipsum mihi dixerunt. Desu-
per interrogat Fiscalis: an Keyser etiam jurârit. Re-
spondet Textor: *Jaē in het Choor, als het versloten
waer.* Interrogat: quâ viâ igitur rursus exivimus?
dicit Textor: *Den Sleutel bat ghy in de Deur ge-
steken.* Interrogat Keyser: eratne Clavis foris, vel
intus? ait Textor: intrinsecus. Exclamat Keyser, &
collum præsecandum porrigit, si ullo claustro janua
illa intrinsecus claudatur. His auditis ait Textor: pu-
to ab extra. Quomodo ergo intus congregati idipsum
aperire poterant. Cui Textor respondet: *Gy meet
wel, dat Licentiaet Abels om liep over het hoogh Choor,
ende liet ons uyt.* Respondet Keyser temiridendo:
intelligo jam Licentiatum officium Portariorum admini-
strasse, & consequenter minimum inter nos fuisse:
quis has ineptias non rideat. Excusare mox hanc ab-
surditatem conatur quidam Consiliarius dicens:
Textor hoc tantum dicit memoriarum recolligendæ gra-

tiā. Ait Keyser : qua-de-cunque causā hoc dicit perinde est, quia falsum : vitam meam vobis oppignorare volo , si claustrum Januæ isti sit annexum, sed tantummodo pessulis occluditur. Quod , si mihi fidem habere nolitis , mittite exploratores , quod & Rutgerus Abels requisierat. Verūm hoc non artidebat. Keyser tam magnanimiter se defendantē interrogat ulterius Fiscalis , num etiam in Hospitio Elberti Voest apud Gubernatorem de Verdugho fuerit. Respondet Textor : *Hy had hem daer niet gesien.* Petit in momento Keyser revisionem Prothocollī Gochensis , ubi Textor fatetur Keyser in ædibus Voestii à se visum. Pergit Fiscalis , qualem scientiam Keyser haberet de literis ab Archiduce scriptis. Ait Textor , *Niet te weeten, off hy daer Weetenschap aff hadt.* Protestatur de novo Keyser , & ad Gochense se Prothocollum provocat , ubi Textor contrarium asseruerat. Prosequitur sermonem suum Keyser : quia vos sapientes & discretos Dominos suspicio , sic judicio vestro discutiendum relinquō ; an Dominus Consul , & Cives captivi tam fuissent stupidi , ut si tale quid in mente circumferrent , hoc cum tam stupido & semifatuo Textore communicare vellent , quem nec homo novit , unde venerit , ideoque nullā prorsus , respectu tot honestarum familiarum , fide dignus. His dictis exit ad locum unde.

C A P U T XXXIII.

Describitur ulterius reliquorum Examen.

Quintus feralem scenam subit Arnoldus Roeloffs Civis prædives , verūm propriam sibi fermè formans

mans conscientiam & vivendi regulam , ita ut se negotiis religionem concernentibus vix immisceret. Huic omnia sicut & antecessoribus suis præleguntur. Textor in aliquibus excusat , in quibusdam accusat. Quid agit Roeloffs ? implorat loquendi venia maximis rationibus omnem à se criminis suspicionem amovere conatur inter cætera addens : non sum bonus Catholicus, Ecclesiæ status , & Religionis incrementum , nec non Papatus curæ mihi non sunt, visitate, & perscrutamini ædes, & Bibliothecam meam, ex eâ satis deprehendetis me quoad Religionem esse impartialiem : non erat ille tam hebetis ingenii , quin fontem omnium horum malorum , nimiriū odium religionis liquidò perspiceret. Veruntamen Dominus Deus post mendaciorum revelationem , & carceris liberationem taliter prædictum Dominum radiis suæ gratiæ illuminavit, ut non solùm ipse , sed & uxori cum septem liberis orthodoxam Fidem amplexi fuerint, in eâque usque ad mortem exemplariter vixerint, relinquentes inter reliquos filium , qui hunc Gochensem Pastoratum summâ cum laude, & Civium affectu longo tempore administravit. Sextus afflisterè compellitur *Magister van Dreek* : huic præter supra memorata desuper imponitur , quod per parvam portam ædis Pastoralis cœmiterium respicientem cum Joanne Verlingh exierit , & templum intrârit , ibidemque sanctissimum Sacramentum sumpsierit , & juramentum deposuerit &c. Hæc omnia allegata Textor approbat esse vera. Magister Wilhelmus ferme eodem, quo Arnoldus Roeloffs sermone se purgat dicens , se spatio sex annorum Sacramentum non frequentasse, totum promptuarium sibi in libris

Ecclesiasticis esse Biblias Lutheranas, & ulterius singula puncta in specie bono animi vigore refutat. Prosequuntur examen longius, & querunt, an non haberet scientiam quosdam milites regios sub peregrino habitu civitatem intrasse, & apud moniales occulte moratos fuisse. Quae omnia Magister Wilhelmus sicut & reliqua rotundè negat. Hic rursus Textor jam toties convictus hærebat. Substituitur in locum prænominati Magistri alter Magister Godefridus Franck, qui ad similia interrogata simile responsum dat, & omni meliori forma se defendit. Vidimus, & audivimus jam sacerdotes, nunc ad Religiosos & Ecclesiasticos procedamus. Reverendus D. Henricus Damiani Supprior in Gaesdonck comparere jubetur, & à Consilio Aulico de pluribus interrogatur; verum Textorem sub conspectum ejusdem venire non permiserunt. Hic Dominus dum cuncta negat, hanc à Textore practicatam decipiendi viam Dominis exponit: dicit in primis, Textorem neutquam novi, nisi ferme quatuordecim diebus ante captivitatem, quo tempore in Monasterio nostro fuit, & me per portarium loquendi causâ requisivit, cui cum aures præberem, ait: Dominus Gerhardus cordialiter te salutat, & recommendat bonam Ecclesiæ administrationem. Capitulum Xantense omni meliore modo rursum providebit. Interrogat ulterius, num perceperissim incendium pulveris tormentarii Clivis. Respondeo ita. Quibus Textor: *Had doch het gantsche Hoff gesprongen.* Respondet Dominus Henricus: quid hoc sibi vellet? quidnam id nobis commodi foret? nonne totus Cliviæ ducatus hoc Castrum magnis sumptibus reædificare deberet? pergit ultra Textor:

Waer

Waer doch den Prints selver met gesprongen. Dicit Supprior, talibus sermonibus parce, & supersede: bella inter Principes per mortem unius è medio non tollentur. Verùm hæc nequam iste tantummodo proposuerat auditurus, num quidquam dictorum veneno conceptui suo applicare potuisset. Hæc omnia stompax ille ab aliis informatus faciebat ut pecuniam lucraretur, sicut & fecerat apud Domintim Consulem Exken iter Bonnense simulans. Fiscalis relatione hæc cognitâ & ponderatâ dicit Domino Henrico: cur talia dictoria Judici vel Gubernatori non manifestasti? qui similia audit, & debito loco non revelat, videtur operibus alterius malis communicare velle. Respondet Supprior: personæ religiosæ obligantur ad proximum corripiendum, non accusandum, quod & ego præstiti cogitans, an homo iste semifatuus blateret aliquid, non ramen eò deveniet; & si omnia quæ aliquando ex inadvertentiâ ab hominibus proferri audimus, in conscientiâ revelare obligaremur, nimis scrupulosæ conditionis esset humana natura. Hisce prolatis exivit, & ductus fuit à quodam milite in cellam, ubi nec sedenti, neque jacenti facultas suppetebat propter fordes cuiusdam avis eidem cellæ inclusæ. Comparet tandem postremus Presbyter Cornelius ædis Pastoralis inquilinus; & de omnibus, quæ Gochiæ eidem proposita fuerant, interrogatur, quibus etiam secundum rerum statum & exigentiam fundamentaliter respondet. Quare etiam mox cedere jubetur, & tali loco mancipatur, ubi nec canes stabulari vellent. In quo se detinere cogebatur usque ad medium noctem, quando circa horam secundam cum reliquis novem ultimò Gochiâ adductis iisdem

ceremoniis, & solennitatibus, quibus antea, Gochiam reducitur. Comitabatur magno furore percitus, & rabie spumans major Castri Gochensis cum quibusdam militibus, & longo firmate per forum in ludibrium Catholicorum captivos ad priores carceres reducit, & Gubernatori in Castello sistit. Hic Dominus Cornelius turri includitur usque post meridiem, quando evocatus in præsentia Gubernatoris à Ceporino interrogatur, ubinam essent chartæ pastoratum concernentes, & pluribus additis tandem abeunt relinquentes Dominum Cornelium solum usque ad sequentem diem horâ decimâ, quando Ceporinus de nro Gubernatorem invicit, & Dominus Cornelius rursum ad turrim rapitur, in quâ permanxit usque ad sequentem Dominicam non obstante, quod captivi Clivenses ineffabili Dei misericordia jam Sabbato relaxati fuerant.

C A P U T XXXIV.

*Revocatio Textoris, quâ captivos innoxios,
Proditores verò reos declarat, ulterius
describitur.*

HÆc est dies, quam fecit Dominus : exultemus, & lætemur in eâ. Hæc est dies, in quâ divina misericordia de humanâ pravitate, veritas de mendacio, Justitia de perjurio, Innocentia de invidiâ, amor de odio triumpharunt. Hæc est dies, in quâ honestis illis captivis, eorumque familiis plus gloriae ex liberatione, quam dedecoris ex captivitate accrevit. Hæc est dies, in qua velut oriente sereno solis radio ululæ noctuæ,

noctuæ, & viperæ latebras suas quærunt, & lucem fagiunt; sic & proditores isti oriente sole justitiæ honesta hominum consortia declinarunt, & vix frontem bono viro præsentare ausi sunt. Nunc ergo ad ipsam revocationem ex fundamento procedamus. Omnes jam tum rigorosum satis examen sustinuerant, quando & ad Textorem pervenitur. Hic à Capitaneo Majore Dyck rursus ad careerem deducitur, ubi nec Ceporinus, nec consortes eidem amplius consiliis & machinationibus suis assistere poterant. Carceri ergo appropinquantibus Textor magno gemitu, & clamore Majorem amplectitur, & bracchiis collum stringit, suppiriosè dicens : *Ik wou dat ick by den Printz was.* Interrogat Major : *Wat wouwt ghy by den Printz doen.* Dicit Textor : *sullen de Borgers wel sterven?* respondet Major : *Jaē, soō dat waer is,* dat ghy seght. Hæc sententiâ auditâ rursum Textor sermonem orditum sequentem : *och ick vvou, dat ick by den Printz vvaer, ick vvou hem om Genaed bidden, vvant vvat ick van de Borgers geseyt hebbo, dat is erdacht, en gelogen. Ick vveet van de Borgers niet te seggen, als Eer, en Deught, vvat ick geseyt heb, daer bin ick toe gekocht, en gebrocht.* Hæc audiens Capitaneus Major Textorem recludit, & citato pede regreditur, tribunâlque adhuc aulicum congregatum invenit, cui omnia, quæ ex ore Textoris, ejusque confessione intellexerat, aperit. Hi Consiliařii de facto erant occupati deliberando, an non expediret, ut cives torquerentur non obstantibus tamen vehementibus rationibus, & remonstrationibus, quas jam à captivis audierant, sicut & Apologiam Petri Exken ad manus habebant, in quâ omnia men-

dacia conficta, & per inhumana tormenta expressa ad unguem revocat. verùm Proditores isti, qui igni huic tam diu fomitem subministrârant, nunc cuti lux timere incipiebant. Consiliarii ei go dant Gubernatori, sive Majori in mandatis, ut Textorem in eorum præsentiam adducat. Tres ex Consilio particulare cubile intrant, Textoris confessionem excepturi. Intrans Textor mox in genua provolvitur, & post exoratam corporis salutem, & integritatem eadem, quæ Majori dixerat, liberè, sed lamentabiliter enarrat. Hic de ulteriori in tam iniquâ causâ progressu penitus conclamatum erat. Sed hic contigit, ut habet adagium: Dominus Deus quandóque permittit terribilem maris sævitiem, sed non ut transeat fines suos. Permisit quoque hanc tribulationem, ut ex ea sibi lucrum animarum acquireret: nam vera fides, & charitas inter Catholicos refriguerat; imò inter captivos tres aderant, qui totâ vitâ venerabile Eucharistia Sacramentum nondum perceperant. Igitur sicut & aurum in fornace probatum purius extrahitur, sic & captivi in tribulatione tentati, in temptatione probati inprobatione denno purificati justiores è carcere evaserunt, quam sine ullo impedimento veterem suam vitam tumulo intulissent.

Dum ergo Textor substantiam, & medullam totius tragediæ liberè tam Tribunali, quam Majori confitetur, loco Consiliarii Domini Voest includitur, nec amplius in bonitate, sed cum rigore procedunt, quamvis Textor ute pote de commissis peccatis summe dolens se offerret ad omnia libenti animo dicenda. Verùm: ô Judicia Dei! dum mendacia & nugas vendit, optimè habetur, & tractatur, veritatem dicens

contra

contra factas etiam promissiones torquetur. Sed quāvis jam tortus tamen verbis suis stetit. Interrogant ultiū de literis, quas Textor dixerat Xantis scripsisse Presbyterum Gerhardum, & quas ad manus Consulis Exken constituere in mandatis habuerat. Hic respondens Textor, omnes circumstantias dolenter aperit. Dicit ergo : loco Presbyteri Gerhardi Textor quidam Gochiæ hanc Epistolam scripsit, & florenum pro salario percepit (vile certè sanguinis pretium) & loco quod eandem deferre debuerat Consuli Exken, tradiderat Ceporino, qui mox ejusdem copiam descriptis, & originale restituit, ut idipsum Consuli traderet, quod tamen non fecerat, sed domum rediens laceratâ Epistolâ fragmenta sub stramine lecti occultarât ; quod Dominus Deus ita constituit, ut reliquiæ postmodum compactæ veritatem manifestarent. Mittuntur desuper quidam Gochiam, qui excusso lecti stramine, & aliis circumstantiis observatis taliter invenerunt sicut Textor dixerat, qui & revertentes Textorem Epistolæ scribam secum trahunt, & carceri includunt. Omnia ergo quæcunq; Textor modò affirmat, factâ inquisitione vera inveniuntur; sed de antehac dictis ne vel syllaba verificari potest. Dum interea Textorem quamvis omnia satis sponte fatentem per quinque dies in torturâ excent, nunc hæc, nunc illa interrogantes, è quibus adhuc aliquid rebus suis profuturum eruere conabantur, boni isti captivi compedibus ferreis onerati, in carceribus adhuc detinentur, & Clivenses quidem à die Luna 30. Martii usque ad Sabbathum post meridiem, Gochenses verò usque ad Dominicam circa horam decimam, quando omnes relaxati fuerunt ; ita ut

adhuc per sex dies post veram Textoris confessionem captivi sedere coacti fuerint. Tantæ molis & difficultatis erat conceptum semel virus evomere.

C A P U T XXXV.

*Quâ ratione Accusatores & Proditores
isti citentur, & quâ viâ se purgare
conentur.*

EX mandato igitur Fiscalis accusatores isti citantur. Qui primò interrogat de literis, quas Textor iisdem attulerat, & quarum Ceporinus copiam descripsérat, addens: Hanc Epistolam tam absurdam esse. Respondet Ceporinus: quisdam exAffeclis meis taliter festinavit, ut literæ Consuli Exken tradere titui, ut tantummodo memoriter in chartam conjecterim. Hic replicat Fiscalis: *Dat laet sich sooo niet verantwoorden;* verùm omnem excusationem quam obmo- vebant non poterant qualificare, nisi dicendo se à Textore deceptos fuisse, & quia crimen læsæ Majestatis erat, idipsum celare aūsi non fuerant. Verùm hæc effugia, & nugas discutiamus parumper: posito quòd conspiratio actualiter conclusa fuerit: quid tunc Ceporino faciendum fuisse? debuisset Textorem Judici loci sistere, & dicere, ut monstraret infallibilia signa, & documenta, cæteroquin tu talis vir haberis, qui audes Concives, consanguineos, & amicos meos in talem ruinam dictis tuis præcipitare, de quâ honor, vita, & fortunæ dependent. Si hac considerasset, opus boni Christiani implèsset. Ve- rùm

rūm omnino contrarium appetebat : bonæ famæ quærebat inurere notam calumniae , bonis inhiabat, ut ex istis lautè posset vivere , vitæ insidiabatur , ut nullus restaret , qui falsis conceptibus posset obesse. Si, ô Ceporine ! habuisses adhuc unicam scintillam Christianæ charitatis , nunquid melius fuisset adire ædes jam de facto à Textore accusatorum , & principales desuper admonere ; sed via Clvensis , & versus castellum tibi magis placebat. Frustra te jam deceptum exclamas in re tanti momenti. Priùs tibi Veritas exploranda fuerat , antequam talia medacia propalares , & viâ facti ad actualēm executionem procederes. Sed loco talis cautelæ falsam Epistolam tali diligentia describis , quasi auri fodinam reperiſſes , ſcio hanc ex Epistolā eruere quærebas , verūm absurditates invenisti , quas etiam Gubernator fassus fuit ſe primo literarum intuitu , & lectione advertiſſe ; quare etiam eādem horā , quā Epistolam ſive copiam Ceporini viderat , cuidam militi in mandatis dederat , ut Textorem obſervaret ; num etiam literas Consuli Exken deferret ; quo Gubernatore poſtea interrogaunte , an literæ destinatae fuiffent , responderunt : *Het waer verſuynt.* Verūm pedibus Clivos ire , & feralem ibidem ignem accendere , nec non mendaciis fucum quendam & colorem ſuperaddere , hæc non negligebantur , nec moleſtum erat Ceporino ſupradomum ſalvâ veniâ honestas iſtas literas ex defæcato ſuo , ſive asinino , ſive vulpino cerebro tantâ diligentia depromere. Verūm de his ſatīs.

C A P U T XXXVI.

*Captivi relaxantur ; & qualiter Textor
Criminatores istos describat, enarratur.*

VEritate ergo Dei beneficio taliter detectâ, Go-
chensis Communitas omnem movet lapidem,
ut crudeles hos Civium proditores urbe ejicant.
Verùm hi nihil indè territi tam diu perstiterunt, quâm
Belgicum præsidium, sub quorum tutela securos se
arbitrabantur ; donec tandem conclusâ pace sub
umbra alarum militarium cum iisdem civitatem de-
serunt, sordida post se relinquente invidi & exasperati
animi vestigia. Cives tamen Neomagenses eos-
dem velut angues & viperas oderant, & honesti ci-
vies ne vel verbum quidem cum iisdem miscebant:
Verùm hoc indurati isti, & ad desperationis bara-
thrum redacti homunciones vix cordi sumebant, in-
dies adhuc scominata & blasphemias in Catholicos
eructantes, nihil curantes, dummodo secundùm
proprium corruptum phantasiam quidpiam in præju-
dicium Catholicorum ad effectum redigere possent.
Consilium Aulicum in fine videns constantem Tex-
toris confessionem, & se amplius nihil viâ Justitiæ
procedere posse, tandem captivos gratuitò relaxâ-
runt. Ea verò, quæ post liberationem Civium, &
Textoris captivitatem ulterius contigerunt, hîc bene-
vole Lector breviter subjungam ; quamvis omnia
examina mihi non constant ; sic talia solummodo
narrabo, de quibus certus sum.

Con-

Conveniunt ergo in unum corpus ad examinandum, tam Regiminis, quam Aulæ Consiliarii, qui ad examinandum eligunt Scribam Dualem vulgo *Landschryver*, utpote ad quem criminalia pertinent. Dicit igitur in primis Textor, omnes has calumnias à me detectas Susurrones isti mihi suggesserunt, ita ut etiam ad singula puncta quæ mihi proponebant, responderem ita, etiam quando personas quasdam nominabant, assentiebat: omnia ego hæc esse vera putabam.

Anno 1615. primâ Julii denuo examinatus fuit Textor, ubi confitetur se à Ceporino aliquoties interrogatum, an Dominus de Hulhuysen etiam quan-dam notitiā desuper haberet: responderet Textor se nescire. Interrogat ulterius Ceporinus: An Comes de Swartzenbergh nihil inde sciat; dicit ille rursum: ignoro. Ceporinus ideo turbatus ait: cur non meministi Comitis? responsum dederat Textor: nesciebam Comitem esse Catholicum. Hæc ita contigisse Textor juramento roborare voluit, & ad torturam desuper subeundam paratum se declaravit. Persuaserant ulterius Textori, ut & ipse pro formâ captivitatem subiret instruentes omni meliori modo, qualiter se gerere, & respondere deberet. Addebat insuper Textor se sèpius ex eorum verbis percepisse, quod nihil aliud intenderent, quam Papistas & Monachos patriâ expellere, etiam propter hanc causam tot magnos præpotentes Dominos huic negotio incorporaverant, ut grandes istas villas, & agros sui juris facerent, è quibus & Textori bonam partem appromiserant, si officio boni proditoris fungeretur, & tum demum dixerant: Gochia florebit, si principales

pales Papistas vel vi, vel fraude eliminaverimus. Pergit Textor: multa mihi prælegerunt, quæ ne quidem intellexi. Hic jam apertè videamus, quòd Textor ille pecuniâ seductus emptus fuerit, ut faceret malum in conspectu Domini. Hic ex ungue leonem considera, ex paucis verbis totam mendaciorum massam perscrutare, ex parvis lineis tortuosa ista pravitatum lineamenta metire. Adverterat idipsum ex propriâ postmodum confessione Fiscalis, dum primâ die dicit se in Textoris assertione quindecim contradictiones observasse, quod postmodum & Tribunal Militare declaravit.

C A P U T XXXVII.

Gloriosus Captivorum ingressus describitur.

Pro majori bonorum solatio, & perfidorum pudore adjungere proposui urbis ingressum. Quartâ igitur Aprilis, ipsâ Dominicâ Passionis post modicam relaxationem itineri se accingunt. Audientes idipsum Cives Gochenses catervatim usque in Ericam obviâm procedunt, portantes lagenas vini, & omnis generis refectiones, & quidem tali plausu & affectu, ut Principem advenisse jurassen. Appropinquantes currui Domini Consulis Exken altâ voce exclamat: *Willekom Heer Borgemeester, willekom ghy goede Borgers,* amplectuntur manus, exosculantur, vinum propinant, & nihil prætermittunt, quod internum animi gaudium contestari posset. Decrepiti senes, quibus

vires

vires non erant eosque progrediendi, apud portam invigilabant, affectum oblatione vini testabantur. In summâ Juvenes & Virgines, senes cum junioribus laudabant, & benedicebant Dominum Deum Sabaoth, qui est mirabilis in operibus suis, qui est benedictus in sæcula. Quæ gratiarum actio in hodiernum usque diem observatur, quamvis ex parte defecerit. Nam antehac septem vel octo maledicta silinginis à præmemoratis familiis pinsebantur, additâ tonnâ halecum, & priùs tintinnabulo per totam urbem dato signo pauperibus venientibus panes & halces porrigebantur. Qui ritus utpote annuè in memoriam crimina ista revocans, & idcirco odiosus, tandem violenter abrogatus fuit. In Ecclesia verò juxta antiquam consuetudinem perseverat: nam Dominica Passionis in Sacello Beatissimæ Virginis Mariæ, in quo Textor dixerat sumptum fuisse Sacramentum, solenne Sacrum in organis celebratur, priùs habitâ Sacramentali Processione, cui assistunt Successores familiarium ardentibus cereis instructi, & ante Introitum Missæ canitur **TE DEUM LAUDAMUS.** Antehac omnes posteri in una domo prandere post Sacrum solebant, & finito prandio rursum **TE DEUM** intonare, quod & tractu calamitosi temporis abrogatum fuit. Die Lunæ sequenti nomina Defunctorum præleguntur, & pro refrigerio animarum solenne Missæ Officium decantatur. Et per hanc mutuam charitatem semi isti Catholicî bonam salutis viam, vitam suam mutant, ambulârant, sicut & Anabaptista ille cum uxore Catholicam Fidem suscepit, in eaque usque ad finem vitæ immotus persistit.

C A P U T XXXVIII.

Quædam adhuc narrantur, quæ post relaxationem contigerunt, sicut & de capitali sententiâ, verum executioni non manib[us] data.

Textor videns se in angustijs constitutum, & ab infortunii sui Auctoribus non solum derelictum, verum etiam pro falsario, & impostore ab iisdem haberi, & explodi: eā solum ratione, ut integrā pellē manib[us] carnificis subtraherent, & tantam infidelitatis labem humeris suis excuterent. Videns, inquam hæc, & malitiam suam perpendens, nec non Divinam & Proximi offendam considerans, liberrimè talia ac tanta facinora à proditoribus istis suggesta fatetur, ut puduerit ea publicè revelare. Mori se paratum dicit, verum se velle priùs ante oculos suos finem illorum videre, quorum instinctu hoc falsum negotium practicatum erat. Tandem ab utroque Serenissimo Principe hæc sententia fertur. Textor Mathias Bernkassel in quinque partes secabitur, quæ frusta totidem in viis publicis suspendentur. Alter Textor, qui falsam Epistolam scripsérat, capite truncabitur, & corpus terræ mandabitur. Verūm Textores denuo protestantur, quatenus fundamentales hujus tragœdiæ Authores priùs è medio debitissimis suppliciis tollerentur. Quod propter replicatas consanguineorum & amicorum preces, & instantias permittere nolebant. Sic executio de mense in mensim,

sem , de anno in annum protrahitur usque ad novam Lamberti Charles invasionem , qui anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto undecimā Septembris de nocte per stratagema rursum Civitatem Clivensem & arcem Dualem occupat , & hoc modo Textores ē carcere liberat , cui per octo & medium annum inclusi fuerant ; murum idem Charles Civitatis à turri Cygnorum usque ad vicum dictum *Middelpoort* nec non quasdam turres Portarum ex fundamento evertit, dejicit , destruit. His non contentus novum sibi conceptum format in urbem Gochensem , ut ibidem vindictam adhuc spirantem animum crudelitate suā satiare , & igneos istos oculos novis ignibus pascere , vel multò magis accendere posset.

In Januario ergo Anno 1624. vel vigesimo quinto fossis glacie concretis , & Civibus nihil mali suspicantibus de nocte admotis scalis propè portam Beatæ Virginis muros cum suis transcendit ; mox fores Ecclesiæ securibus & malleis effringit , Cathedram & ligneas Imagines , scama & sedes in medio Ecclesiæ Vulcano consecrat inaudito Christiani hominis exemplo : lapideas verò Imagines malleis & ferreis instrumentis comminui & depopulari jubet. Hæc non sufficiebant : quibusdam imaginibus sacrilegis manibus suis funes injiciunt , & taliter quasi triumphantes rapiunt , ubi ratione frigoris ingentem pyram accenderant. In hunc rogum , additis omnis generis zugis & blasphemis , prædictos icones præcipitant , se apud focum calefacentes , & tabacum & yinum adustum ad satietatem potantes. Obstabat adhuc furori illorum venerabilis quædam imago Crucifixi Domini nostri Jesu Christi , quæ in hunc usque diem

adhuc

adhuc summo honore à Fidelibus colitur. Huic dum miles quidam sacrilegas manus inferre tentat, justo Dei judicio è scalâ decidens dextrum brachium amittit. Hæc socius videns irâ percitus bombardam in effigiem Crucifixi exonerat; verum ruptâ bombardâ dextram quoque amittit, & sic uterque mutilatus tamen tangere potuit & experiri, rebus diuinis non esse inferendam injuriam. Promptuarij pauperum effringunt, & nummos repertos auferunt, scripta Ecclesiæ & Communitatis pauperum equis substerunt, quorum adhuc plurima parata pecunia redempta fuerunt. His in Ecclesia planè barbarè peractis domos principaliorum Catholicorum vi invadunt, nummos, aurum, argentum, stannum, cuprum, linteamenta, quidquid demum arridebat, auferunt. Hæc omnia nondum inexplebilem istius Lamberti Charles avaritiam, & sive per fas & nefas habendilibidinem satiare poterant. Prætendit granum Ecclesiæ campanam, vel ejusdem redemptionem, sicut & aurum, argentum, æs, & omne quod malleo cuditur. In hac tribulatione boni Cives cogitabant, jamde fortunis nostris unico actu factum est; quare optimum iterum remedium Diuinam implorare clementiam, quæ apud tam crudeles nomine tantummodo tenus Christianos procul exulârat; nec vota ad Deum directa optato fine caruerunt; nam Lambertus Charles in medio corradendorum bonorum negotio occupatus, & velut alter Saulus adhuc minas spirans visibiliter à Deo tangitur, & tam vehementibus viscerum, & totius corporis cruciatibus, & doloribus affligitur, ut paulò post infelicem animam exhalârat, & insatiabile illud cor
trumpi

rumpi debuerit. Quare & à suis Neomagum deduc-
tus, Civitasque eo momento liberata fuit. Habes
nunc & vidisti Benevole Lector omnia breviter, &
sine ullâ verborum pompâ, quia phrases Historiæ
non conveniunt, sed eas potius pueris, & Gramma-
ticis in Scholis relinquimus.

Tragœdia hæc ad metam suam jam pervenit.
Dominum Deum hæc lecturi rogemus, ut
etiam semel aliquando ulteriorum
calamitatum sit.


F I N I S.





Quidam Cyprianus
tumidi corporis. Quicquid a suis Moxambutis deputa-
que Civilissima et dormitio sibi dicitur. Tunc Hesper-
ianus et aliis generibus etiam omnis privatus, et
tunc illi supererunt hume, deo pueris Historia
non conseruit, ne et bona brachii, et Gritinus
tunc in secessu mundiorum.
Taddeus nunc ad mecum hunc sive decimae
Dominum Deni pro legato nobiscum, et
etiam postea sicutus quo nunc est
tunc tunc.


FINIS














TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

A 4x4 grid of colored squares. The columns are labeled from left to right as Blue, Cyan, Green, Yellow, Magenta, Red, White, 3/Color, and Black. The rows are labeled from top to bottom as Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, and Blue. The colors follow a repeating pattern: Blue (top-left), Cyan, Green, Yellow; Magenta, Red, Yellow, Green; White, Magenta, Red, Yellow; 3/Color, White, Magenta, Red; Black, 3/Color, White, Magenta; Red, Yellow, Green, Blue; White, Magenta, Red, Yellow; Magenta, Red, Yellow, Green.

